



B
11
/ 13

AB
70 $\frac{11}{6}$ 13

I · S · W

I · 5 · 5 · 4

APFOLL

CALIOPE

ITALIA

CALIOPE

ITALIA

ENTERPE




all

Pom. Og 4781

LC or tu

ge

Mel



P. d. 556

Theologie
D VIII 343

ur
B
u
ur
or
t
B
B
L
L
B
B



HISTORIA DE VITA ET ACTIS

Reuerendis. uiri D. Mar-
tini Lutheri, ueræ Theo-
logiæ Doctoris, bon-
na fide con-

scripta a

PHILIPPO MELANTHONĒ.

*Adiecta sunt quedam, quæ pagi-
na uersa indicabit.*



VVITTEBERGÆ
Ex officina Iohannis Lufft.

1549.

IOANNIS POLLICARII
Carmina quædam de beneficijs quæ
Deus per Lutherum orbi ter-
rarum contulit.

ITEM DISTICHA ALI-
quot de Actis Lutheri, quæ si-
mul annorum numerum
comprehendunt
etc.



BB 70 ^{AA}
13

L57,

REVENDISS.
ATQVE ILLVSTRISSIMO
principi ac domino, domino Geor-
gio, principi ad Anhalt, Ascaniæ Comi-
ti, dominoq; Berneburgensi, In causis
uero spiritualibus Administratori
Marsburgensi, & Ecclesiæ
Magdeburgensis Præ-
posito.

Gratiam & pacem in Christo Deo &
saluatore nostro.



MAGNVS ERAT LV-
ctus, ingentes querelæ, mul-
tæ lachrymæ in uniuersa
Roma, cum Cicero pater
patriæ pulsus, cogeret
exulare. Occupauit tamen
iste luctus non quosuis, non seditiosos Catilinas,
non furibundos Antonios, hisq; similes scelera-
tos & ulcera urbis, sed pacificos & modera-
tos, & qui amabant æquitatem, & quibus grata
erat Reipub. tranquillitas. Ita non dubito, eti-
am adhuc hodie Lutheri mortem tristem &
acerbam esse, semperq; futuram, & si non omni-
bus, tamen uiris bonis, imprimis autem illis, qui-

A 2 bus

P R Æ F A T I O .

bus religio cara est, & qui afficiuntur periculis
Ecclesie Christi, quae sub hoc Doctore satis flo-
rens, tuta, ac munita fuit. Nunc uero quoniam
sublatus est, quid interea euenerit, magno cum
luctu, multisq; lachrymis hucusq; uidimus, ac
quotidie uidemus, necdum scimus, quid adhuc
sit sperandum de furoribus quorundam, quos
Lutherus ui sua atq; autoritate compressit. Ego
certe aliquid magni metuo, Nam cū colligo euen-
tus priorum temporum, comperio occasum tan-
torum uirorū raro non exitialem fuisse. Sed no-
bis consolatio certa ac firma proposita est, ui-
delicet Oratio et promissiones Dei. Precabimur
itaq; Deum parentem nostrum, ut adhuc extru-
dat alios operarios in messem suam, qui pergant
illustrare gloriam gratiae suae, et regni Iesu Chri-
sti, ad promouendam ac perficiendam salutem
electorum suorum. Et rogabimus Patrem in no-
mine unigeniti filij sui Iesu Christi domini no-
stri, ut Ecclesiam suam, et hoc hospitium fide-
lium suorum, quod apud nos uerbo suo, per Lu-
therum aedificauit, regat, gubernet et conseruet,
ad gloriam nominis sui, Amen. Ipse recepit se fu-
turum nobiscum, usq; ad cōsummationem seculi,
& dixit: Non relinquam uos orphanos. Hæc cū
uera sunt, & maxime consolatoria pijs menti-
bus,

I O A N. P O L I C A R I I.

bus, Interim tamen dolendum est, quoties uide-
mus Ecclesiã eiusmodi Doctoribus orbari, quan-
do experimur hæc organa & uasa gratiæ oc-
cumbere, hominesq; tantis donis præditos, è con-
spectu atq; consuetudine nostra eripi, Num enim
mortui laudabunt Dominum?

Ego igitur, ut me quoq; ob hæc incommoda
angi ostenderem, aliquid carminis congeßi, in
laudem huius maximi nostri Theologi. Adieci
quoq; Vitam eius, sicuti eam reperi perscri-
ptam à D. Philippo nostro, unã cum Actis Vuor-
matiensibus, non sine certo ac graui cõsilio, quæ
omnia, ut spero, Ecclesiæ non erunt ingrata. Ea
nunc tibi ampliss. & illustriss. Princeps ascribo
atq; dedico, & obsecro C. T. ut æqui boniq; fa-
ciat. Vt autem hoc libello C. T. compellerem,
commouit me, primum, similitudo officiorum,
quæ tu & Lutherus habuistis æqualia. Nam su-
stinet C. T. quoque, quemadmodum paulo an-
te Lutherus, gubernationem Ecclesiæ, quæ fun-
ctio profecto est ualde difficilis, & plena la-
boris, ac periculosissima, his nostris confusis ac
turbulentis temporibus, præsertim ubi improbo-
rum et audacium hominum est infinita licentia.
Deinde commouit me & hoc, quod sciebã C. T.

A 3 Luth.

PRÆFAT. IOAN. POLLICAR.

Luthero unice semper & amatam & ueneratam fuisse, ideo uisus sum ego mihi bene pieq; et rem C. T. gratam facere, si amicissimi apud amicissimum nunc quoq; a morte mentionem facerem. Rogo itaq; illustriss. Princeps C. T. ut hoc scriptum magnifacere uelit, propter pia fata Lutheri, cuius negocium hic agitur, in cuius gratiam scio C. T. hoc mihi denegare non posse. Bene uale illustriss. Princeps, & Deus opt. max.

C. T. nobis in hoc ministerio diu seruet incolumem, Amen. Datum Vucisenselsij, 20. Octobris.

1547.

Tuæ ampli. deditiss.

Ioannes Pollicarius Cygnæus,
apud Vucisensenses uerbi
Dei Minister.

Historia

HISTORIA DE
VITA ET ACTIS REVE-
rendiss. uiri, D. Martini Lutheri, synce-
rioris Theologiæ Doctoris, bo-
na fide conscripta à
PHILIP. MELANTHONE.



SPEM NOBIS FECE-
rat Reuerendus uir Marti-
nus Lutherus, et curriculum
se uitæ suæ, & certaminum
occasionum narraturum esse,
quod fecisset, nisi ex hac mor-
tali uita, ad æternam Dei & Ecclesiæ cœlestis
consuetudinem euocatus esset. Utilis autem esset
& priuatæ ipsius uitæ consideratio luculenter
scripta, plena enim fuit exemplorum, quæ ad
confirmandam pietatem in bonis mentibus pro-
futura essent, & occasionum recitatio, quæ po-
steritatem de multis rebus commonefacere pos-
set, Deinde & calumnias refutaret eorum, qui
uel incitatum à principibus uiris aut alijs, ut la-
befactaret Episcoporum dignitatem, uel priua-
ta ipsum cupiditate inflammatum, seruitutis Mo-
nasticæ uincula rupisse fingunt.

A 4 Hæc

DE VITA

Hæc prodesset ab ipso integre et copiose exposita et commemorata esse. Etsi enim maleuoli uulgare illud obiecturi erant, αὐτὸς αὐτὸν αὐλῆς, tamen & in ipso tantum grauitatis fuisse scimus, ut optima fide Historiam recitaturus fuerit. Et multi boni & sapientes uiri adhuc uiuunt, quibus cum sciret seriem harum rerum notam esse, fuisset ridiculum, aliam historiam, ut sit interdum in poëmatis, comminisci. Sed quia editionem talis historiae fatalis ipsius dies anteuertit, nos iisdem de rebus ea quæ partim ex ipso audiimus, partim ipsi uidimus, bona fide recitaturi sumus.

VEtus familia est, & late propagata mediocrium hominum, cognomine Luther, in ditione inclytorum Comitum Mansfeldensium. Parentes uero Martini Lutheri primum in oppido Ißleben, ubi Martinus Lutherus natus est, domicilium habuerunt, Deinde migrarunt in oppidum Mansfeld, ubi pater Iohannes Lutherus & Magistratus gessit, & propter integritatem omnibus bonis uiris carissimus fuit.

In matre Margarita, coniuge Iohannis Lutheri, cum ceteræ erant uirtutes honestæ matronæ conuenientes, tum uero præcipue lucebant pudicitia, timor Dei, et inuocatio, intuebanturq; in eam

L V T H E R I.

in eam ceteræ honestæ mulieres, ut in exemplar
uirtutum. Hæc mihi aliquoties interroganti de
tempore, quo filius natus est, respondit, diem &
horam se certo meminisse, sed de anno dubitare.
Adfirmabat autem natum esse die decimo No-
uembri, nocte post horam undecimam, ac no-
men Martini attributum infanti, quod dies pro-
ximus, quo infans per Baptismum Ecclesiæ Dei
insertus est, Martino dicatus fuisset. Sed frater
eius Iacobus, uir honestus & integer, opinionem
familie de ætate fratris hanc fuisse dicebat, na-
tum esse Anno à natali Christi 1483.

Postquam ætas doctrinæ capax fuit, paren-
tes filium Martinum ad agnitionem et timorem
Dei & ad aliarum uirtutum officia domestica
institutione diligenter adsuesecerunt, & ut est
consuetudo honestorum hominum, curauerunt
ut literas disceret, gestauitq; in ludum litera-
rium adhuc paruulum Georgij Aemilij pater,
qui cum adhuc uiuat, testis huius narrationis es-
se potest.

Florebant autem eo tempore Scholæ Gram-
maticæ in Saxonis urbibus mediocriter, quare
cum Martinus ingressus esset annum quartum
decimum, unâ cum Iohâne Reineck, cuius postea
uirtus fuit excellēs, et uirtute parta autoritas in

A 5 his

DE VITA

his regionibus magna, Magdeburgam missus est, fuitq; mutua benevolentia inter hos duos, Lutherum et Reineckum semper eximia, seu ab aliquo naturæ consensu, seu ab illa puerilium studiorum societate orta, Nec tamen diutius anno mansit Lutherus Magdeburgæ.

Deinde in schola Isennacensi quadriennio audiuit Præceptorem rectius & dexterius tradentem Grammaticen, quam alibi tradebatur: Nam huius ingenium memini à Lutherò laudari. In eam autem urbem missus est, quod mater in ijs locis honesta & ueteri familia nata fuerat: Hic absoluit grammaticum studium. Cumq; & uis ingenij acerrima esset, & imprimis ad eloquentiam idonea, celeriter equalibus suis præcurrit, & uerbis et copia sermonis in loquendo, & in scribenda soluta oratione, & in Versibus ceteros adolescentes, qui una discebant, facile uicit.

Degustata igitur literarum dulcedine, natura flagrans cupiditate discendi, appetit Academiam, tanquam fontem omnium doctrinarum. Et omnes artes ordine percipere tanta uis ingenij potuisset, si Doctores idoneos inuenisset, & fortassis ad leniendam uehementiam naturæ mitiora studia ueræ Philosophiæ, & cura formandæ ora-

L V T H E R I.

de orationis profuissent, Sed incidit Erphordiae in eius aetatis Dialecticam satis spinosam, quam cum sagacitate ingenij, praecipue causas et fontes melius quam caeteri perspiceret, cito arripuit.

Cumq; mens avida doctrinae, plura & meliora requireret, legit ipse pleraq; ueterum Latinorum scriptorum monumenta, Ciceronis, Virgilij, Liuij & aliorum. Haec legebat, non ut pueri, uerba tantum excerpentes, sed ut humanae uitaе doctrinam, aut imagines. Quare & consilia horum scriptorum & sententias propius aspiciebat, & ut erat memoriae fideli & firma, pleraq; ei lecta & audita, in conspectu & ob oculos erant. Sic igitur in iuuentute eminebat, ut toti Academiae Lutheri ingenium admirationi esset.

Ornatus igitur gradu Magisterij philosophici, cum natus esset annum 20. de consilio propinquorum, quia hanc tantum uim ingenij et facundiam iudicabant in lucem & ad Rempub. educendam esse, inchoat iuris studium. Sed breui post, cum natus esset annum unum et uicesimum, subito praeter parentum & propinquorum opinionem, uenit ad Collegium Monachorum Augustinianorum Erphordiae, seq; recipi petit. Receptus,

DE VITA

ceptus, iam non solum acerrimo studio doctrinam Ecclesiae discit, sed etiam summa disciplinae seueritate seipse regit, & omnibus exercitijs lectionum, disputationum, ieiuniorum, precum, omnes longe superat. Erat autem natura, quae saepe miratus sum, in corpore nec paruo, nec imbecilli, ualde modici cibi & potus, uidi continuis quatuor diebus, cum quidem recte ualeret, prorsus nihil edentem aut bibentem, uidi saepe alias multis diebus quotidie exiguo pane & halece contentum esse.

Occasio autem ingrediendi illud uitae genus, quod pietati et studijs doctrinae de Deo existimauit esse conuenientius, haec fuit, ut ipse narrabat, & ut multi norunt. Saepe enim cogitantem attentius de ira Dei, aut de mirandis poenarum exemplis, subito tanti terrores concutiebant, ut penè exanimaretur. Ac uidi ipse, cum in quadam doctrinae disputatione propter intentionem consternatus, in uicino cubiculo se in lectum collocauit, ubi hanc sententiam crebro repetitam miscuit inuocationi, Concluserit omnes sub peccatum, ut omnium misereatur. Hos terrores seu primum, seu acerrimos sensit eo anno, cum sodalem, nescio quo casu interfectum, amisisset.

Non igitur paupertas, sed studium pietatis
cum

L V T H E R I.

eū in illud uitæ monasticæ genus induxit, in quo
 etsi doctrinam in scholis usitatam quotidie disce-
 bat, & Sententiariorum legebat, & in disputationi-
 bus publicis labyrinthos alijs inextricabiles, di-
 serte multis admirantibus explicabat, tamen
 quia in eo uitæ genere non famam ingenij, sed
 alimenta pietatis quærebat, hæc studia tanquam
 parerga tractabat, et facile arripiebat illas scho-
 lasticas methodos. Interea fontes doctrinæ coele-
 stis auide legebat ipse, scilicet scripta propheti-
 ca & Apostolica, ut mentem suam de Dei uolun-
 tate erudiret, & firmis testimonijs aleret timo-
 rem & fidem. Hoc studium ut magis expeteret,
 illis suis doloribus & paucibus mouebatur.

Et senis cuiusdā sermonibus in Augustiniano
 collegio Erphordiae sæpe se confirmatum esse
 narrabat, cui cum consternationes suas expone-
 ret, audiuit eum de fide multa differentem, seq̄
 deductū aiebat ad Symbolū, in quo dicitur: Cre-
 do remissionem peccatorum. Hunc articulum sic
 ille interpretatus erat, non solum in genere cre-
 dendum esse, aliquibus remitti, ut et demones cre-
 dunt, Dauidi aut Petro remitti, Sed mandatum
 Dei esse, ut singuli homines remitti nobis pecca-
 ta credamus. Et hanc interpretationem cōfirma-
 tam

DE VITA

tam dicebat Bernardi dicto, monstratumq; locum in concione de Annunciatione, ubi hæc sunt uerba: Sed adde ut credas & hoc, quod per ipsum peccata TIBI donantur. Hoc est testimonium quod perhibet Spiritus sanctus in corde tuo, dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, Gratis iustificari hominem per fidem.

Hac se uoce non solum confirmatum esse Lutherus dicebat, sed commonefactum etiam de tota Pauli sententia, qui toties inculcat hoc dictum: Fide iustificamur. De quo, cum multorum expositiones legisset, tunc et ex huius sermonibus & suæ mentis consolatione animaduertisse, interpretationum, quæ tunc in manibus erant, uanitatem. Paulatim legenti & conferenti dicta & exempla in Prophetis & Apostolis recitata, & in quotidiana inuocatione excitanti fidem, plus lucis accessit.

Tunc & Augustini libros legere cœpit, ubi & in Psalmorum enarratione, et in libro de Spiritu & litera, multas perspicuas sententias reperit, quæ confirmabant hanc de fide doctrinam, & consolationem, quæ in ipsius pectore accensa erat. Nec tamen prorsus relinquit Sententiariorum

LUTHERI,

tentiarios, Gabrielem & Cameracensem pene ad uerbum memoriter recitare poterat. Diu multumq; legit scripta Occam, huius acumen anteferebat Thomæ & Scoto. Diligenter & Gersonem legerat, Sed omnia Augustini monumenta & sæpe legerat, & optime meminerat.

Hoc acerrimum studium inchoauit Erphor-
diæ, in cuius urbis Collegio Augustiniano com-
moratus est annos quatuor.

Eo autem tempore, quia reuerendus uir Stau-
picius, qui exordia Academiæ Vuittebergensis
adiuuerat, studium Theologicum in recenti Aca-
demia excitare cupiebat, cum ingenium & eru-
ditionem Lutheri considerasset, traducit eum
Vuittebergam Anno 1508. cum iam ageret an-
num uicesimum sextum. Hic inter quotidiana
exercitia Scholæ & concionum, magis etiam lu-
cere eius ingenium cœpit. Cumq; eum attente
audirent uiri sapientes, Doctor Martinus Mel-
lerstadius & alij, sæpe dixit Mellerstadius, tan-
tam esse uim ingenij in hoc uiro, ut plane præ-
sagiret mutaturum esse uulgare doctrinæ genus,
quod tunc in scholis unicum tradebatur.

Hic primum Dialecticam & Physicam Aristo-
telis enarrauit, Interea tamen suum illud studiũ
legendi

DE VITA

legendi scripta theologica non omittens. Post
triennium Romam profectus propter Monacho-
rum controuersias, cum eodem anno reuersus es-
set, usitato more scholarum, Duce Saxonie Ele-
ctore Friderico præbente sumptus, ornatus est
gradu Doctorum, ut usitate loquimur. Audierat
enim concionantem, & uim ingenij, & neruos
orationis, ac rerum bonitatem expositarum in
concionibus, admiratus fuerat. Et ut quadã qua-
si maturitate iudicij uideas gradum ei Doctorũ
attributum esse, scias fuisse eum annum ætatis
Lutheri tricesimum. Ipse narrabat sibi admo-
dum defugienti & recusanti mandatum esse à
Staupicio, ut hoc gradu ornari se sineret, Eumq;
per iocum dixisse, multum negociorum Deo iam
in Ecclesia fore, ad quæ ipsius usurus esset ope-
ra. Cui uoci, etsi ioco tunc emissa est, tamen euen-
tus respondit, ut multa præcedunt mutationes
præfagia.

Postea enarrare Epistolã ad Romanos cœpit,
deinde Psalmos, hæc scripta sic illustrauit, ut
post longã & obscurã noctẽ, noua doctrinæ lux
oriri uideretur, omnium piorum & prudentum
iudicio. Hic monstrauit Legis et Euangelij discrĩ-
mẽ, hic refutauit errorem, qui tunc in scholis et
concionib. regnabat, qui docet, mereri homines
remissionẽ

L V T H E R I.

remissionem peccatorum proprijs operibus, & homines coram Deo iustos esse disciplina, ut Pharisæi docuerunt. Reuocauit igitur Lutherus hominum mentes ad filium Dei, et ut Baptista, monstrauit agnum Dei, qui tulit peccata nostra, ostendit gratis propter filium Dei remitti peccata, et quidem oportere id beneficium fide accipi. Illustrauit et cæteras partes doctrinæ Ecclesiasticæ.

Hæc ei exordia rerum optimarum magnam auctoritatem circundederunt, præsertim cum mores congruerent cum oratione docentis, uidereturq; oratio non in labris nasci, sed in pectore. Hæc uitæ admiratio magnas efficit inclinationes in animis auditorum, ut ueteres etiam dixerunt, οὐκ ἐδ' ὄρ, ὡς εἰπῆν, κριωτ' ἄτηρ' ἔχει τῶν ἰσῆρ' ἃ ἦθος. Quare postea cum quosdam receptos ritus mutaret, honesti uiri, qui cum norant, minus uehementer aduersati sunt, eiq; propter auctoritatem, quam & rerum bonarum illustratione, & sanctitate morum antea pepererat, in ijs sententijs adsenserunt, quibus magno cum dolore uidebant orbem terrarum distrahi.

Nec Lutherus tunc in ritibus quidquam mutabat, imo tetricus disciplinæ custos inter suos erat, nec miscuerat aliquid opinionum horridiorum. Sed illam communem & prorsus necessari

B

am do



DE VITA

am doctrinam omnibus magis magisque illustrabat, de poenitentia, de remissione peccatorum, de fide, de ueris consolationibus in cruce. Huius doctrinae dulcedine pij omnes ualde capiebantur. Et eruditis gratum erat, quasi ex tenebris, carcere, squalore educi Christum, Prophetas, Apostolos, conspici discrimen Legis & Euangelij, promissionum Legis, & promissionis Euangelicae, Philosophiae et Euangelij, quod certe non extabat in Thoma, Scoto, & similibus, iustitiae spiritualis & rerum politicarum.

Accedebat huc, quod Erasmi scriptis iam inuitata erant iuuentutis studia ad Latinae et Graecae linguae cognitionem, Quare monstrato iam dulciore genere doctrinae, multi bonis et liberis ingenijs praediti, abhorrere a barbarica & sophistica doctrina Monachorum incipiebant.

Ipse etiam Lutherus Graecae & Hebraicae linguae studijs se dedere coepit, ut cognita sermonis proprietate & phrasi, & hausta ex fontibus doctrina, dexterius iudicare posset.

IN hoc cursu cum esset Lutherus, circumferuntur uenales Indulgentiae in his regionibus a Tecelio Dominicano impudentissimo sycophanta, cuius impijs et nefarijs concionibus irritatus Lutherus, studio pietatis ardens, edidit Propositiones

L V T H E R I.

tiones de Indulgentijs, quæ in primo Tomo monumentorum ipsius extant, & has publice Templo, quod arci Vuittebergensi contiguum est, affixit pridie festi omnium Sanctorum, Anno 1517. Hic Tecelius nihil sui dissimilis, ac sperans etiam gratiam se apud Romanum Pontificem initurum esse, suum Senatum conuocat, Monachos aliquot & Theologos sophistica sua utcumq; leuiter tinctos, hos componere aliquid iubet aduersus Lutherum. Ipse interea, ne esset κροῦρον ἄγούριον, non iam conciones, sed fulmina in Lutherum torquet, uociferatur ubiq; hunc Hæreticum igni perdendum esse, Propositiones etiam Lutheri & Concionem de Indulgentijs publice conijcit in flammis. Hi furores Tecelij & eius satellitum imponunt necessitatem Luthero, de rebus iisdem copiosius differendi, & tuendæ ueritatis.

Hæc initia fuerunt huius cōtrouersie, in qua Lutherus nihil adhuc suspicans aut somnians de futura mutatione rituum, ne quidem ipsas Indulgentias prorsus abiiciebat, sed tantum moderationem flagitabat. Quare falso eum calumniantur, qui à plausibili causa exorsum dicunt, ut postea mutaret Rempub. & uel sibi uel alijs potentiam quæreret. Ac tantum abest, ut ab au-

B 2 licis

DE VITA

licis subornatus aut incitatus sit, sicut scripsit
Dux Brunsvuicensis, ut doluerit etiam dux Fri-
dericus moueri certamina, longe prospiciens,
quanquam exordium esset de re plausibili, ta-
men paulatim latius uagaturam esse hanc flam-
mam, ut de Lite apud Homerum dicitur:
Parua metu primo, mox sese attollit in auras.

Cumq; unus omnium nostrae aetatis princi-
pum Fridericus et tranquillitatis publicae aman-
tissimus fuerit, & minime ἀλεογενέως, maxi-
meq; solitus sit referre consilia ad communem
salutem orbis terrarum, ut ex multis rebus in-
telligi potest, nec incitator Lutheri, nec adplau-
sor fuit, suumq; dolorem saepe significauit, quem
assidue circumtulit, metuens discordias maiores.

Sed uir sapiens, & non tantum prophana iu-
dicia sequens, quae tenera initia omnium muta-
tionum celerrime opprimi iubent, Sed etiam
normam diuinam in consilium adhibens, quae iu-
bet audiri Euangelium, & uetat agnitae ueritati
aduersari, ac blasphemiam uocat horribiliter da-
mnatam a Deo, pertinaciam ueritati aduersan-
tem, fecit, quod multi alij pij & sapientes fece-
runt, Deo cessit, studiose legit ea quae scribeban-
tur, & ea quae iudicauit uera esse, delere non uo-
luit.

Scio

LUTHERI.

Scio etiam saepe eum sciscitatum de rebus ipsis eruditorum & sapientum sententias, & in eo Conuentu, quem in urbe Agrippina Colonia egit Imp. Carolus V. post coronationem, Erasmus Roterodamum amanter orasse, ut libere diceret, num errare Lutherum in ijs controuersijs iudicaret, de quibus praecipue differuisset. Ibi Erasmus plane dixit, recte sentire Lutherum, sed lenitatem se in eo desiderare. Qua de re grauisime postea dux Fridericus ad Lutherum scribens, ualde eum hortatus est, ut styli asperitatem moderaretur.

Cōstat etiā Lutherū Cardinali Caietano promissurum fuisse silentiū, si aduersarijs etiā silentium indiceretur. Qua ex re perspicue intelligi potest, tunc quidem nondum eum decreuisse, alia se deinceps moturum esse certamina, sed tranquillitatis cupidum fuisse, sed paulatim ad alias materias pertractum esse, undiq; lacescentibus eum indoctis Scriptoribus.

Secutæ sunt igitur Disputationes de discrimine Legum diuinarum & humanarum, de tetra prophanatione Coenæ Domini, in uenditione & applicatione eius pro alijs. Hic explicanda tota Sacrificij ratio fuit, & ostendendus usus Sacramentorum. Cumq; iam audirent homines pij in

B 3 Monaste

DE VITA

Monasterijs, fugienda esse idola, discedere ex im-
pia seruitute coeperunt.

Addidit igitur Lutherus ad explicationem
doctrinae de poenitentia, de remissione peccato-
rum, de fide, de indulgentijs. Deinde & has ma-
terias, discrimen Legum diuinarum et humma-
narum, & doctrinam de usu Coenae Domini, &
aliorum Sacramentorum, et de Votis. Et haec fue-
runt praecipua certamina. Questionem de Ro-
mani Episcopi potestate Eccius mouit, non ali-
am ob causam, nisi ut accenderet Pontificis &
Regum odia aduersus eum.

Symbola uero Apostolicum, Nicenum & A-
thanasianum purissime retinuit, Deinde in riti-
bus & traditionibus humanis quid & cur mu-
tandum sit, satis copiose in multis scriptis ex-
ponit. Et quid retineri uoluerit, & quam for-
mam doctrinae & administrationis Sacramento-
rum probauerit, liquet ex Confessione, quam
Dux Saxoniae Elector Iohannes, et Princeps Phi-
lippus Landgravius Cattorum etc. in Conuentu
Augustano Imp. Carolo V. Anno 1530. exhibue-
runt. Liquet idem ex ipsis Ecclesiae ritibus in
hac urbe, et ex doctrina, quam sonat Ecclesia no-
stra, cuius summa in Confessione perspicue com-
prehensa est. Quod ideo recito, ut non solum
conside-

L V T H E R I.

considerent pij, quos errores taxauerit, quæ idola sustulerit Lutherus, sed etiam sciant complexum esse uniuersam doctrinam Ecclesiæ necessariam, & puritatem in ritibus restituisse, & pijs Exemplis instaurandarum Ecclesiarum monstrasse. Ac utile est, posteritatem scire, quid probauit Lutherus.

Illud commemorare hoc loco nolo, qui primi publice præbuerint utranq; partem Cœnæ Domini, qui primi omiserint priuatas Missas, ubi deserta primum sint Monasteria. Nam Lutherus de his materijs ante Conuentum, qui fuit in urbe Vangionum Anno 1521. tantum pauca disputauerat. Ritus non mutauit ipse, sed eo absente Carolstadius & alij ritus mutarunt. Cumq; quædam tumultuosius fecisset Carolstadius, rediens Lutherus, quid probaret aut non probaret, editis suæ sententiæ perspicuis testimonijs, declarauit.

Scimus politicos uiros uehementer detestari omnes mutationes, & fatendū est, discordijs etiam propter iustissimas causas motis, in hac tristī confusione uitæ humanæ semper aliquid mali misceri. Sed tamen in Ecclesia necesse est anteferri mandatum Dei omnibus rebus humanis. Aeternus Pater hanc uocem de Filio edidit. Hic

B 4 est Fi

DE VITA

est Filius meus dilectus, Hunc audite. Et minitatur eternam iram blasphemis, hoc est, ijs, qui agnitam ueritatem delere conantur. Quare pium et necessarium officium fuit Lutheri, praesertim cum Ecclesiam dei doceret, taxare perniciosos errores, quos homines Epicurei, etiam noua impudētia cumulabant, et auditores recte docenti assentiri necesse fuit. Si uero mutatio odiosa est, si in discordia multa sunt incommoda, ut esse multa magno cum dolore cernimus, culpa est tum illorum, qui initio errores sparserunt, tum horum, qui nunc eos diabolico odio tuentur.

Hæc non modo eo commemoro, ut Lutherum & eius auditores defendam, sed etiam, ut piæ mentes hoc tempore & ad posteritatem cogitent, qualis sit & semper fuerit ueræ Ecclesiæ Dei gubernatio, quomodo Deus sibi uoce Euangelij eternam Ecclesiam ex hac massa peccati, hoc est, ex magna hominum colluue excerpit, inter quos lucet Euangelium, ut scintilla in tenebris. Ut phariseorum tempore tamen Zacharias, Elisabet, Maria & alij multi ueræ doctrinæ custodes fuerunt, Ita etiam ante hæc tempora multi fuerunt, recte inuocantes Deum, alij magis alij minus perspicue tenentes Euangelij doctrinam.

L V T H E R I.

nam. Talis fuit & ille senex, de quo dixi, qui Lu-
therum conflictantem paucis sepe erexit,
eiq; aliquo modo monstrator fuit doctrinae de fi-
de. Ita, ut seruet Deus deinceps in multis lucem
Euangelij, ardentibus uotis precemur, Sicut Esai-
as pro suis auditoribus precatur, Obsigna le-
gem in discipulis meis. Deinde haec commemo-
ratio ostendit fucatas superstitiones non esse du-
rabiles, Sed euelli diuinitus. Haec cum sit causa
mutationum, cauendum est, ne errores in Eccle-
sia doceantur.

Sed redeo ad Lutherum, ut initio sine priuata
cupiditate in hanc causam ingressus est, ita & si
fuit natura ardens & iracunda, tamen semper
sui muneris memor, tantum docendo preliatus
est, ac uetuit arma sumi, sapienterq; distinxit
officia toto genere diuersa, Episcopi docentis
Ecclesiam Dei, et Magistratum, qui gladio com-
hercent certorum locorum multitudinem.

Quare cum aliquoties diabolus, qui scandalis
dissipare Ecclesiam & contumelia Deum adfi-
cere studet, & ut est ἐπιχαιρέτικος, uolupta-
tem capit ex hominum miserorum erroribus &
exitio, inflammasset seditiosa ingenia ad excitan-
dos tumultus, ut Monetarium & similes, acer-

B S rime



DE VITA

rime illos furores damnauit, & dignitatem ac uincula omnia politici ordinis non solum orna- uit, sed etiam muniuit. Cum autem apud me co- gito, quam multi magni uiri in Ecclesia sepe in hac re hallucinati sint, plane statuo, non sola hu- mana diligentia, sed etiam diuina luce pectus ei- us gubernatum esse, ut intra sui muneris metas tam constanter manserit.

Execrabatur igitur non solum huius aetatis se- ditiosos Doctores, Monetarium & Anabapti- stas, sed etiam eos episcopos urbis Romae, qui au- dacissime impudentissimeq; Decretis conditis af- firmarunt, Petro non tantum Euangelij docendi munus mandatum esse, sed etiam imperia politi- ca tradita esse.

Deniq; erat hortator omnibus, ut quae Dei sunt, Deo darent, quae Caesaris, Caesari, id est, ut uera poenitentia, uerae doctrinae agnitione & propagatione, uera inuocatione, & bonae consci- entiae officijs Deum colerent. Suae uero politicae quisq; in omnibus ciuilibus officijs reuerenter propter Deum obtemperaret. Ac talis quidem Lutherus ipse fuit, quae Dei sunt Deo dedit, re- cte docuit, Deum recte inuocauit, habuit et alias uirtutes necessarias in homine, qui placet Deo.

Dein=

L. V. T H E R I.

Deinde in politica consuetudine constantissime uitauit omnia seditiosa consilia. Has uirtutes tanta esse iudico decora, ut alia maiora in hac uita expeti non possint.

Et quanq̄ ipsius uiri uirtus etiam laude digna est, qui Dei donis reuerenter usus est, tamen precipue Deo gratias agi necesse est, quod per eum restituit nobis Euangelij lucem, & ipsius doctrinae memoria retinenda & propaganda est. Nec moueor clamoribus Epicureorum aut hypocritarum, qui aut rident aut damnant manifestam ueritatem, sed uere statuo consensum perpetuum esse catholicae Ecclesiae Dei hanc ipsam doctrinae uocē, quae sonat in ecclesijs nostris, & huius doctrinae agnitione necessario regeneranda esse inuocationem & uitam. Deniq; hanc ipsam esse doctrinam, de qua filius Dei inquit: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ueniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Loquor enim de summa doctrinae, ut in Ecclesijs nostris à pijs & eruditis intelligitur et explicatur. Nam etiamsi alij magis alij minus proprie & concinne interdum aliquid explicant, aut alius alio horridius interdum loquitur, tamen de rebus in summa inter pios & eruditos consensus est.

Ac

D E V I T A

Ac mihi sepe multumq; cogitanti, de omnium temporum doctrina, inde usq; ab Apostolis, post primam puritatem secuta uidentur mutationes doctrinae insignes quatuor. Origenica aetas, etsi aliqui fuerunt recte sentientes, qualem fuisse Methodium arbitror, qui deliramenta Origenis improbavit, tamen in animis multitudinis inflexit Euangelium ad Philosophiam, hoc est, offudit hanc persuasionem, mediocrem rationis disciplinam mereri remissionem peccatorum, & esse iusticiam de qua diceretur: iustus ex fide sua uiuet. Hæc aetas pene amisit totum discrimen Legis & Euangelij, & sermonem Apostolicum dedidit, Non enim retinuit natiuam significationem uocabulorum literæ, spiritus, iusticiæ, fidei. Et amissa uerborum proprietate, quæ rerum notæ sunt, alias confingi res necesse est. Ex his seminibus ortus est Pelagij error, qui late uagatus est. Itaq; cum Apostoli puram doctrinam seu limpidos et saluberrimos fontes Ecclesiæ dedissent, multum infudit cœni Origenes.

Huius ætatis errores ut emendarentur, saltem aliqua ex parte Augustinum Deus excitauit, hic mediocriter fontes repurgauit, nec dubito, si hic iudex esset controuersiarum huius ætatis, habituros nos eum prorsus ὁμόληρον. Certe
de re=

L V T H E R I.

de remissione gratuita, de iusticia fidei, de usu Sacramentorum, de adiaphoris expresse nobiscum sentit. Etsi autem alibi magis, alibi minus disertè seu proprie exponit quod uult, tamen si lector candorem et dexteritatem in iudicando ad eum adferet, sentire eum nobiscum agnoscet. Quod enim aduersarij nostri interdum sententias ex eo decerptas, contra nos citant, & ad patres magno clamore prouocant, id non faciunt ueritatis & antiquitatis studio, sed sycophantice presentibus idolis autoritatem ueterum prætexunt, quibus hæc idola postremæ ætatis adhuc ignota erant.

Sed semina superstitionum tamen in illa Patrum ætate extitisse adparet. Ideo & de uotis quædam constituit Augustinus, & si de his quoque minus horride loquitur quam cæteri. Semper autem aliquid ineptiarum singulis etiam bonis aspergunt contagia suæ ætatis, quia ut patriæ, ita presentibus ritibus fauemus, quibus innutriti sumus, uerissimumq; illud est Euripidis, ὡς πρὸς σὺντροφοῦν γλυκὺ. Utinam uero omnes, qui Augustinum sequi se iactitant, perpetuam sententiam, & ut ita dicam, pectus Augustini referrent, non tantum mutila dicta calumniose detorquerent ad suas opiniones.

Ac

DE VITA

Ac restituta lux Augustini scriptis, posteritati profuit, Nam deinde Prosper, Maximus, Hugo, & aliqui similes, qui studia gubernarunt, usque ad Bernardi ætatem, propemodum Augustini normam sequuntur. Interea tamen crescentibus Imperijs & opibus Episcoporum, secuta est uelut Gygantum ætas, prophani homines & indocti regnarunt in Ecclesia, quorum aliqui aulæ Romanæ artibus aut forensi doctrina exculti fuerunt.

Exorti sunt igitur Dominicani et Franciscani, qui cum uiderent luxum & opes Episcoporum, et prophanos mores detestarentur, modestiorem uitam instituerunt, seq; quasi discipline carceribus incluserunt. Sed primum inscitia superstitiones auxit, Deinde cum uiderent hominum studia in Scholis ad solam forensam doctrinam conuerti, quod Romæ iam lites multis auerent autoritatem & opes, ipsi reuocare homines ad Theologica studia conati sunt, sed consilium defuit. Albertus et similes, qui dediti fuerant Aristotelis doctrinæ, transformare ecclesiæ doctrinam in philosophiam cœperunt. Et hæc quarta ætas, non tantum cœnum, sed insuper uenena, id est, opiniones probantes manifesta idola in fontes Euangelicos infudit. Tantum labyrinthorum

LUTHERI.

thorum & falsarum opinionum est in Thoma, Scoto, & similibus, ut semper saniores Theologi desiderauerint aliud genus doctrinae planius & purius.

Nec sine insigni impudentia dici potest, non fuisse opus eius doctrinae mutatione, cum manifestum sit, magnam partem sophismatum in illis disputationibus ne ab ijs quidem intelligi, qui in eo doctrinae genere consenuerunt. Deinde aperte confirmantur εἰδωλομαναίαι, ubi docent applicationes sacrificij ex opere operato, ubi statuarum inuocationes excusant, ubi negant gratis remitti peccata fide, ubi ex caeremonijs humanis carnificinam faciunt conscientiarum, denique multa sunt alia magis tetra & δυσφύμα, quae cogitans toto corpore cohorresco.

GRatias igitur agamus Deo aeterno Patri domini nostri Iesu Christi, qui Martini Lutheri ministerio ex fontibus Euangelicis rursus eijci coenum & uenena uoluit, & Ecclesiae puram doctrinam restituit, qua de re cogitantes omnes pios toto orbe terrarum coniungere uota & gemitus decet, ac petere ardentibus pectoribus, ut Deus confirmet hoc quod operatus est in nobis, propter templum sanctum suum. Tua est haec uox et promissio, uiue et uere Deus, aeternae Pa-

DE VITA

ne Pater domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum & Ecclesiae, propter nomen meum miserebor uestri, Propter me, propter me faciam, ut non blasphemem. Te oro toto pectore, ut propter gloriam tuam & Filij tui, semper tibi inter nos quoque Ecclesiam aeternam uoce Euangelij tui colligas, & propter Filium tuum dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, μεσίτην ἡ ἱκέτην, nostra pectora Spiritu sancto regas, ut te uere inuocemus, & officia tibi placentia praestemus.

Rege etiam studia doctrinae, et gubernata ac serua has politias & earum disciplinam, quae sunt hospitia tuae Ecclesiae et studiorum. Cum ideo genus humanum condideris, ut ab hominibus agnoscaris et inuoceris, quare et illustribus testimonijs te patefecisti, non sinas deleri haec agmina, in quibus doctrina tua sonat. Cumque Filius tuus dominus noster Iesus Christus aditurus agonem suum precatus sit pro nobis: Pater sanctifica eos in ueritate, Sermo tuus est ueritas. Ad huius nostri Sacerdotis precationem, nostra uota adiungimus, et petimus una cum ipso, ut tua doctrina semper luceat in genere humano, et nos gubernet. Haec quotidie precantem & Lutherum audiebamus, et inter haec uota anima eius ex mortali corpore

pore

L V T H E R I.

pace placide euocata est, cum iam ageret athenum sexagesimum tertium.

Habet posteritas multa monumenta & doctrinae & pietatis ipsius. Edidit scripta διδασκαλικὰ, in quibus doctrinam complexus est salutarem, & necessariam hominibus, erudientem bonas mentes de poenitentia, fide & ueris fructibus fidei, de usu Sacramentorum, de discrimine Legis & Euangelij, de discrimine Euangelij & Philosophiae, de dignitate politici ordinis, denique de praecipuis articulis doctrinae, quam in Ecclesia extare necesse est. Deinde addidit ἐλεγκτικὰ, in quibus refutauit multos errores perniciosos hominibus. Edidit & ἱζηγητικὰ, id est, enarrationes plurimas in Prophetica & Apostolica scripta, quo in genere etiam inimici fatentur, cum superare omnium enarrationes quae extant.

Hæc merita esse magna omnes piæ mentes intelligunt, sed profecto utilitate & labore æquat hæc opera interpretatio ueteris & noui Testamenti, in qua tanta est perspicuitas, ut uice Commentarij esse possit ipsa germanica lectio, quæ tamen non est nuda, sed habet adiunctas eruditissimas annotationes, et singularum partium argumenta, quæ et summam doctrinae cœlestis monstrant, et de genere sermonis erudiunt lectorem,

C ut ex

DE VITA LVTHERI.

ut ex ipsis fontibus bonæ mentes firma testimo-
nia doctrinæ sumere possint. Volebat enim Lu-
therus non detinere in suis scriptis, sed ad fontes
deducere omnium mentes. Ipsam uocem Dei au-
dire nos uoluit, hac uoluit in multis accendi ue-
ram fidem & inuocationem, ut Deus uere cele-
braretur, & multi fierent heredes uitæ æternæ.

Hanc uoluntatem & hos tantos labores &
grata mente prædicare decet, & exempli causa
meminisse, ut nos quoq; pro suo quisq; modo or-
nare Ecclesiam studeat. Nam ad hos duos fines
præcipue tota uita, & omnia uitæ studia & con-
silia referenda sunt. Primum, ut Dei gloriam il-
lustremus; Deinde, ut Ecclesiæ profimus. De quo-
rum altero dicit Paulus, Omnia ad gloriam Dei
facite. De altero Psalmus 122. Rogate quæ ad
pacem sunt Ierusalem. Et additur dulcissima
promissio in eodem uersu, Eos qui diligunt Ec-
clesiam felices & beatos fore. Hæc cœlestia
mandata & hæc promissiones inuitent omnes, ut
Ecclesiæ doctrinam recte discant, ament mini-
stros Euangelij, & salutare Doctores, & con-
ferant studium & operam ad ueræ do-
ctrinæ propagationem, & ad
ueræ Ecclesiæ concor-
diam tuendam.

Sequuntur

SEQVNTVR
ACTA REVERENDI PA-
tris D. Martini Lutheri, coram Cæsare
Carolo V. Principibus, Electori-
bus, & Imperij ordinibus,
in Comitij Princi-
pum Vuor-
matiaë.



ANNO SALVTIS NO-
stræ M. D. XXI. post do-
minicam Misericordia Do-
mini, feria tertia, D. Marti-
nus Lutherus Vuormatians
ingressus est, uocatus à Ca-
rolo Imperatore, eius nomi-
ne V. Rege Hispaniarũ, Archiduce Austriæ &c.
qui primo Imperij sui anno, primum conuentum
Principum in ea urbe regia celebrauit. Cum au-
tem ante triennium Paradoxa quædam disputan-
da proposuisset Vuittebergæ in Saxonib. D. Mar-
tinus, aduersus tyrannidem Romani Episcopi,
(quæ tamen interea à Pontificijs uarie lacerata,
damnata & exusta fuerunt, à nullo tamen aut
scripturis aut rationibus conuicta) cœpit res
ad tumultum spectare, uulgo causam Euangelij
aduersus Clericos tuente. Et ob id bonum uide-
C 2 batuz

IN COMIT.

batur, instigantibus Romanis legatis, ut ipse Lutherus accerferetur Faciali Cesareo, & literis salui conductus in hoc à Cesare & principibus datis. Accersitur, uenit, ac diuertit in Curiam Rhodiensium militum, seu quos uocant, Teutonici ordinis, ubi hospitio collectus est, et à multis Comitibus, Baronibus, Equitibus auratis, Nobilibus, Sacrificis et prophanis in multam usq; notam salutatus ac requisitus.

Cæterum multis et aduersariae partis et alijs, aduentus eius prorsus præter opinionem acciderat: Nam & si per nuncium Imperialem, et datis literis publicæ fidei, accersitus erat, Tamen quia paucis diebus antequam ueniret, publice et palam affixis literis eius libri damnati erant, nemo existimabat eum, hoc præiudicio condemnatum, aduenturum esse. Et cum in uicino oppido Oppenheim, ubi primum hæc rescieuit Lutherus, ab amicis eius deliberatio haberetur, ac pleriq; consulerent, ne se ipse exponeret periculo, cum uideret hæc principia contra datam fidem fieri. Auditis omnibus, ipse magno animo respondit: Mihi uero, quia uocatus sum, decretum & certum est ingredi in urbem, in nomine domini Iesu Christi, etiamsi scire tot diabolos mihi oppositos, quot sunt tegule in omnibus totius urbis tectis, &c.

Altero

V V O R M A T .

Altero die post aduentum eius, feria quarta, uir nobilis, Magister equitum Imperij, Vlricus de Pappenheim, à Cesare missus, ante prandij tempus uenit, indicans Doctori Martino Caroli Imperatoris mandatum, ut hora pomeridiana quarta, apud Cesaream Maiestatem, principes Electores, Duces, & reliquos Imperij ordines sese sistat, auditurus ad quid accersitus sit. Quod D. Martinus, ut debuit, accepit.

Ac statim post horam quartam auditam eius diei, uenit D. Vlricus de Pappenheim, & Casparus Sturm Facialis per Germanias Cesareus, (quo Caduceatore è Vuiteberga erat excitus, ac Vuormatiam usq; deductus D. Martinus) qui ipsum euocatum comitabantur per hortum Curie Rhodiensium, in diuersorium Palatini Comitis. Et ne quid à turba pateretur, quæ in iusto ad Cesaream domum itinere magna fuit, per gradus quosdam abditos in Auditorium deductus est, Non tamen latuit multos, qui ab ingressu uix ui prohibebantur, pleriq; pergulas conscenderunt, studio uidendi Lutherum.

Cum igitur staret in conspectu Cesareæ Maiestatis, principum Electorum, & Ducum, breuiter, omnium Imperij ordinum, qui tū Cesari adfuere, D. Martinus primum admonitus est ab Vl

C 3 rico de

IN COMIT.

rico de Pappenheim, ne quid loqueretur, nisi
quaesitus.

Ibi Caesarea Maiestatis Orator Ioannes Eck,
Officialis generalis Episcopi Treuerensis, alta
et intelligibili uoce, primum latine, deinde ger-
manice, iussu Imperatoris, dixit & proposuit
eandem sententiam, in hunc, aut ei in effectu si-
milem, qui sequitur modum.

Martine Luthere, Sacra & inuicta Caesarea
Maestas, de consilio omnium sacri Romani Im-
perij ordinum, ad solium Maiestatis suae huc uo-
cari te iussit, ut his duabus de causis te interro-
garem: Primum, fatearis ne libros hos praesen-
tes (fasce librorum suorum latine & germanice
scriptorum ostenso) qui tuo nomine praetitulati
circumferuntur, tuos esse, illosq; pro tuis agno-
scas nec ne? Deinde, an illos & eorundem con-
tenta retractare & reuocare, uel inherere eis-
dem potius & inseuerare uelis?

Hic, priusquam Lutherus responderet, D. Hie-
ronymus Schurff, qui Doctori Martino addi-
tus adstabat, exclamauit, Intitulentur libri. Hic
Officialis Treuerensis, ex libris D. Martini Lu-
theri, eos qui Basileae simul sunt excusi, nomi-
natim recitauit, inter quos etiam numeraban-
tur

V V O R M A T.

tur Commentarij in Psalterium, Libellus de bonis operibus, Commentarius in Dominicam orationem, & præter hos alij libelli Christiani, non contentiosi.

Post hæc & ad hæc D. Martinus ista reddidit latine & germanice: A Cæsarea Maiestate duo mihi proponuntur: Primū, An libros omnes nomen meum habentes pro meis agnoscere uelim? Secundum, An defendere, an uero quidquid reclamare uelim ex ijs, quæ hæctenus per me scripta & edita sunt? Ad quæ respondebo breuiter ut potero, & recte.

Primum, Libros iam nominatos non possum non amplecti pro meis, & eorum quidem nihil unquam negabo. Caterum, quod sequitur, ut exponam, an defendere pariter omnia, uel reuocare uelim, Quia de fide est quæstio & animarum salute, & quia diuinum uerbum concernit, quo nihil maius est, tam in cælo quàm in terra, quod nos merito reuereri conuenit omnes, temerarium ac iuxta periculosum fuerit, me quidquid incogitatum proferre, cum & minus quàm pro re, & maius quàm pro uero, non præmeditatus, asserere possim, quorum utrumq; me in sententiam adducet, quam Christus tulit, cum ait: Qui me negauerit coram hominibus, nega-

I N C O M I T.

ho et ego cum coram Patre meo qui in coelis est,
 Peto igitur hac de causa, et quidem suppliciter,
 à Cesarea Maiestate spacium deliberandi, ut ci-
 tra diuini uerbi iniuriam, & animæ meæ pericu-
 lum interrogationi satisfaciam.

Ex eo Principum cœpit deliberatio, quam ita
 reddidit Officialis Treuerensis. Etsi iam tu, Mar-
 tine Luthere, ex mandato Cesareo satis intelli-
 gere potueris, ad quid accersitus sis, et ea de cau-
 sa iam indignus, cui longior cogitandi mora de-
 tur, Tamen ex ingentia clementia, Cesarea Ma-
 iestas diem unum indulget meditationi tuæ, ut
 cras in horam eandem coram compareas, ea con-
 ditione, ne scriptam sententiam tuam proponas,
 sed uerbis exequaris.

Post hæc D. Martinus per Facialem redditus
 est hospitio suo. In qua re non fuit prætereun-
 dum, quod inter eundum ad audiendum Cesaris
 mandatum, & cum iam esset in ipso principum
 confessu Lutherus, ab alijs alia uoce, commone-
 batur, ut esset forti animo, ut uiriliter ageret, ne
 timeret eos, qui corpus tantum possent occidere,
 animam non possent, sed potius metueret sibi ab
 eo, qui posset & corpus & animam mittere in
 gehennam. Item, Cum steteritis ante Reges, no-
 lite cogitare quid loquamini, dabitur enim uo-
 bis in illa hora &c.

Sequen-

V V O R M A T .

Sequenti feria quinta, post quartam pomeri-
dianam, uenit Facialis, & assumptum D. Marti-
num in Curiam Caesaris perduxit, ubi propter
Principum occupationes ad sextam usq; mansit,
expectans in magna hominum frequentia, seip-
sam conterente præ turba. Cumq; confessus fa-
ctus esset, & D. Martinus astaret, prorupit Offi-
cialis in hæc uerba :

Hesterno uesperî Cesarea Maestas hanc ho-
ram tibi dixit, Martine Luthere, Quandoquidē
libros, quos heri recensuimus, tuos esse palam re-
cepisti. Cæterum ad quæstionem, An quidquam
eorum irritum haberi uelles, aut omnia proba-
res quæ confiteris? deliberationem petijsti, quæ
nunc finem habet, Etiam si iure impetrare non
debueras longius cogitandi spacium, qui tanto
tempore sciuisti, ad quid uocareris. Et fidei ne-
gotium tam certum omnibus esse cōueniebat, ut
quisq; quocunq; tempore postulatus, rationem
eius certam et cōstantem reddere possit, nedum
tu tantus & tam excitatus Theologiæ profes-
sor. Age, tandem responde Cesareæ postulationi,
cuius benignitatem in impetrando cogitandi spa-
cio sensisti. Vis ne libros tuos agnitos omnes tue-
ri? an uero quidquam retractare? Hæc latine &
germanice dixit Officialis.

C S Respon-

IN COMIT.

Respondit D. Martinus, & ipse latine et germanice, quanquam suppliciter, non clamose, ac modeste, non tamen sine Christiana animositate & constantia, & ita, ut cupierint Aduersarij orationem & animum abiectiorem. Sed multo cupidissime expectarunt Reuocationem, cuius spem, expetito deliberandi spacio, nonnulli concederant.

Sic autem respondit.

SERENISS. domine Imperator, Illustriss. Principes, clementissimi Domini, ad praefixum mihi hesternae uesperae terminum obediens compareo, per misericordiam Dei obsecrans, sereniss. Maiestas uestra, Dominationesq; uestrae illustrissimae, dignentur causam hanc (ut spero) iustitiae & ueritatis clementer audire. Atq; si per imperitiam meam uel dignos titulos cuiquam non dedero, uel quocunque modo in mores gestusq; aulicos peccauero, benigniter ignoscere, ut homini non in Aulis, sed in angulis Monachorum uersato, qui nihil aliud de me testari possim, quam ea simplicitate animi haecenus me docuisse & scripsisse, ut tantum gloriam Dei, & sinceram fidelium Christi institutionem spectarem.

Sereniss. Imperator, Illustriss. Principes, clementiss

V V O R M A T.

mentisß. Domini, Ad duos illos articulos heri per
 sereniss. Maiestatem uestrā mihi propositos, sci
 licet: An libellos recensitos, et nomine meo euul=
 gatos agnoscerē meos, et in his defendendis per=
 seuerare aut reuocare uelim? Dedi paratum &
 planum meū responsum, super Articulo priore,
 in quo adhuc persisto, persistamq; in æternum,
 Esse uidelicet eos libros meos, meoq; nomine à
 me euulgatos, nisi forte interim acciderit, ut æ=
 mulorum uel astutia, uel sapientia importuna
 quidquam in illis mutatum, aut deprauate excer=
 ptum sit, Nam aliud plane non agnosco, nisi q;
 mei solius est, et à me solo scriptum, citra omnis
 cuiusuis industriæ interpretationem.

Ad alterum uero responsurus, rogo, sereniss.
 Maestas uestra, & Dominationes uestræ di=
 gnentur animum aduertere. Libros meos non es=
 se omnes eiusdem generis: Sunt enim aliqui, in
 quibus pietatem fidei & morū adeo simpliciter
 & euangelicè tractaui, ut ipsimet Aduersarij co=
 gantur eos confiteri utiles, innoxios, & pla=
 ne dignos lectione Christiana. Sed et Bulla, quan=
 quam seua & crudelis, aliquot meos libros
 innoxios facit, licet & hos damnet, iudicio pror=
 sus monstrifico. Si itaque hos reuocare incipe=
 rem, obsecro, quid facerem, nisi quod unus ex
 omnibus

IN COMIT.

omnibus mortalibus eam ueritatem damnarem,
quam amici et inimici pariter confitentur, solus
omnium confessioni concordi reluctatus?

Alterum genus est, quod in Papatum & do-
ctrinam Papistarum inuehitur, tanquam in eos,
qui suis & doctrinis & exemplis pessimis, or-
bem Christianum utroq; malo, & spiritus et cor-
poris uastauerunt: Nam neq; negare id, neq; dis-
simulare quisquam potest, cum experientia o-
mnium & uniuersorum quærimonia testes sint,
per leges Papæ & doctrinas hominum consci-
entias fidelium miserrime esse illaqueatas, uexa-
tas & excarnificatas, tum res & substantias,
præsertim in hac inclyta Germaniæ natione, in-
credibili tyrannide deuoratas, deuorariq; adhuc
sine fine indignisq; modis: cum tamen suismet le-
gibus ipsi caueant (ut dist. 9. & 25. q. 1. & 2.)
Ut Papæ leges & doctrinæ Euangelio aut Pa-
trum sententijs contrariæ, pro erroneis & re-
probis habeantur.

Si igitur & hos reuocauero, nihil aliud præ-
stitero, quam ut Tyrannidi robur adiecero, &
tantæ impietati iam non fenestras, sed ualuas
aperuero, grassaturæ latius & liberius quam ha-
ctenus unquam ausa fuerit, et fiet huius meæ re-
uocatio=

V V O R M A T.

uocationis testimonio, licentiosissimum impunitissimumq; nequitiae illorum regnum, misero uulgo longe intolerabilissimum, & tamen roboratum & stabilitum, praesertim si iactatum fuerit, id à me factum autoritate serenissimae Maiestatis uestrae, totiusq; Romani imperij. Quantum ego, Deus bone, tum fuero operculum nequitiae & tyrannidis.

Tertium genus eorum est, quos in aliquos priuatos & singulares (ut uocant) personas scripsi, in eos scilicet, qui tyrannidem Romanam tueri, & pietatem à me doctam labefactare moliti sunt. In hos cōfiteor me fuisse acerbiozem, quàm pro religione aut professione deceat, neque enim me Sanctum aliquem facio, neq; de uita mea, sed de doctrina Christi disputo.

Neq; hos reuocare mihi est integrum, quod ea reuocatione iterum futurum sit, ut tyrannis & impietas meo patrocinio regnent, & saeuiant in populum Dei uiolentius, quàm unquam regnauerint.

Tamen quia homo sum & non Deus, alio patrocinio meis libellis adesse non possum, quàm ipse dominus meus Iesus Christus affuit suae doctrinae, qui cum coram Hanna de sua doctrina
fuiisset

I N C O M I T.

fuiſſet interrogatus, & alapam à ministro accē-
piſſet, dixit: Si male locutus ſum, testimoniū per-
hibe de malo. Si Dominus ipſe, qui ſciebat ſeſe
errare non poſſe, non detrectauit testimoniū ad-
uerſus ſuam doctrinam audire, etiam à uiliſſimo
ſeruo, quanto magis ego ſex, non niſi errare po-
tēs, debeo expetere et expectare, ſi quis testimo-
nium reddere uelit aduerſus meam doctrinam.

Itaq; rogo per miſericordiam Dei, ſereniſſ.
Maieſtas ueſtra, Illuſtriſſimæq; dominationes ue-
ſtræ, aut quicumq; tandem, uel ſummus uel infi-
mus poſſit, reddat testimonium, conuincat erro-
res, ſuperet ſcripturis Prophetiſis & Apoſtoli-
cis, paratiſſimus enim ero, ſi edoctus fuero, quē-
cumq; errorem reuocare, eroq; primus, qui libel-
los meos in ignem proijciam.

Ex his arbitror liquidum fieri, me ſatis curaf-
ſe & ponderaſſe discrimina & pericula, ſeu ſtu-
dia & diſſenſiones, meæ doctrinæ occasione in
orbe excitata, de quibus heri grauiſſe & forti-
ter admonitus fui. Mihi plane omnium iucun-
diſſima facies iſta in rebus eſt, uidere ob uerbum
Dei ſtudia & diſſenſiones fieri, iſ enim eſt uerbū
curſus, caſus & euentus, Nam dicit, Non ueni
pacem mittere ſed gladium, Veni enim ſeparere
hominem ad uerſus patrem, etc.

Proinde

VVORMAT.

Proinde cogitandum nobis est, quod Deus noster sit mirabilis & terribilis in consilijs suis, ne forte id, quod tantis studijs tentatur, si à damnato uerbo Dei exordiamur, uergat postea potius in intolerabile malorum diluuium, & quod cauendum sit, ne Adolescentis huius optimi principis Caroli (in quo post Deum multa spes est) infelix & inauspicatum fiat Imperium.

Possẽm locupletius exemplis Scripturæ, de Pharaone, rege Babylonis, & regibus Israel rem declarare, qui tum sese maxime perdidērunt, cum sapientissimis consilijs sua Regna pacificare & stabilire studuerunt: Ipse est enim qui comprehendit astutos in astutia sua, & subuertit montes antequam cognoscant. Itaq; timere, Dei opus est.

Non hæc dico, quod opus sit mea uel doctrina uel admonitione tantis uerticibus, sed quòd obsequium meæ Germaniæ debitum subtrahere non debuerim. Et his me serenissimæ Maiestati uestræ, Dominationibusq; uestris commendo, humiliter rogans, ne patiantur studijs Aduersariorum me sibi sine causa reddi iniustum. DIXI.

HIS

IN COMIT.

His dictis, Orator imperij increpabundo si-
milis, dixit, eum non ad rem respondisse, nec de-
beri in questionem uocari, quæ olim in Concilijs
essent damnata & definita, Ideo ab eo peti sim-
plex & non cornutum responsum, An uelit re-
uocare uel non?

Hic Lutherus: Quando ergo serenissima Ma-
iestas uestra, Dominationesq; uestræ simplex re-
sponsum petunt, dabo illud, neque cornutum
neque dentatum, in hunc modum: Nisi conui-
ctus fuero testimonijs Scripturarum, aut ratio-
ne euidente (nam neq; Papæ, neq; Concilijs solis
credo, cum constet ea errasse sæpius, & sibiipsis
contradixisse) uictus sum Scripturis à me addu-
ctis, captaq; est conscientia in uerbis Dei, reuo-
care neque possum neque uolo quidquam, cum
contra conscientiam agere neq; tutum sit neque
integrum,

**Hie stehe ich / Ich kan nicht
anders / Gott helff mir / Amen.**

Orationem hanc à D. Martino habitam, in
consultationem deduxerunt principes. Exami-
natam conuellere cœpit Officialis Treuerensis
hoc modo,

Immo=

V V O R M A T.

Immodestius tu Martine respondisti, quam tuam personam decebat, & adeo non ad propositum. Libros uarie partiris, uerum ita, ut ad interrogationem nihil faciant omnia. Quod si eos recantasses, in quibus errorum tuorum magna pars est, haud dubie Cæsarea Maiest. et ingenita clementia reliquorum, qui boni sunt, persecutionem non toleraret. Atqui tu, quæ uniuersale Constantiense Concilium damnauit, ex uniuersa Germanica natione congregatum, resuscitas, et per scripturam uinci uis, in quo uehementer deliras. Quid enim attinet nouam Disputationem celebrare de rebus per tot secula ab Ecclesia et Concilio cõdemnatis? Nisi forte cuiuis, de quocunq; ratio reddenda est. Quod si semel peruicerit, ut scripturis conuincendus sit, quicunq; Concilij et Ecclesiæ sensis contradicit, nihil habebimus in Christianitate certum uel determinatum.

Et hæc causa est, ob quam Cæsarea Maiest. à te petit responsum simplex ac planum, aut negatiuum aut affirmatiuum. Num uis omnia tua pro catholicis tueri? An uero quidquam ex eis reuocare?

Ibi rogauit D. Martinus, ne se contra conscientiam à sanctis scripturis captam & impeditã, sine contradicentium manifestarijs argumentis, ad reuocandum cogi pateretur Cæsarea Maiest.

D

Respon

IN COMIT.

Responsum quod petitur non cornutum, sed simplex & rectum. Neq; se aliud habere, quam q̄ ante quoq; dedisset: Nisi sufficientibus argumentis, conscientiam ab illis, quos ipsi uocant, erroribus captā, explicarent Aduersarij, nec se posse ex retibus abire, quibus esset inuolutus. Non protinus uera esse, quæcunq; Concilia statuerunt, imo errasse Concilia, & sibiipsis sepe contraria definiisse, propterea non ualere contradicentium argumentum. Se posse ostendere, q̄ Concilia errauerunt, reuocare non posse, q̄ sedis lo palam expressum sit in Scriptura.

Ad quæ nihil est responsum ab Officiali, nisi paucissimis, uidelicet, quod ostendi non possit, Concilium errasse. D. Martinus uero ostendere se posse ac promisit.

Cum iam autem tenebræ totum auditorium haberent, propterea suam quisq; domum abiuerunt. Discedentem à Casarea Maiest. & Tribunali, Hispanorum bona pars ronchis & subsannatione hominem Dei Lutherum longo rugitu profecuti sunt.

Feria sexta post Misericord. Domini, cum conuenissent Principes, Electores, Duces, & reliqui Ordines, qui consultationibus adesse solent, Scriptum hæc habens in Senatum misit Cæsar:
MAIORES nostri & ipsi Christiani principes sue

V V O R M A T.

pes fuerunt, nihilominus Ecclesie Romanæ au-
dientes, quam nunc D. Martinus Lutherus impu-
gnat. Et quia ne latum quidem unguem ab er-
roribus discedere in animum induxit, non pos-
sumus nos cum decore à Maiorum exemplo de-
sciscere, in antiqua fide tuenda, & Romanæ Se-
di auxilium ferendo: Ipsum autem Martinum
Lutherum & adherentes, excommunicatione
prosequemur, et si quæ aliæ patēt ad extinguen-
dum uia. Datam tamen & ascriptam fidem uio-
lare nolumus, Imò daturi operam, ut saluus eò
redeat, unde est accitus.

Hanc Imperatoris Caroli sententiam uersauc-
runt Principes, Electores, Duces, Imperij status,
feria sexta per totum tempus pomeridianum,
etiam Sabbatum integrum quod sequebatur, ita
q̄ D. Martinus adhuc responsum à Cesarea Ma-
iestate nullum receperit.

Interea temporis uisus est & uisitatus à mul-
tis Principibus, Comitibus, Baronibus, Equitib.
Nobilibus, Sacrificis, religiosis ac prophanis, ne
quid dicam de uulgi numero, Hi curiam nun-
quam non obsederunt, nec uidendo satiari potue-
runt. Etiam schedulæ binæ fuerunt affixæ, una
contra Doctorem Lutherum, Altera, ut uideba-
tur pro Doctore. Tametsi a multis adeoq; intel-
ligētibus, dolose ab inimicis putatur factum id-
ipsum, ut occasio esset rescindēdi dati salui cōditio

D 2 Etus

IN COMIT.

ctus, q̄ non impigre querebant Romani legati.

Feria secunda post Iubilate, ante coenam, Archiepiscopus Treuerensis renunciauit D. Martino, ut feria quarta sequenti coram ipso hora sexta ante prandium compareret, loco iterum designando. Die S. Georgi, sub coena, redijt ad Lutherum is, qui erat a Sacris Archiepis. Treuerensis, iussu Principis sui, petens, ut postridie hora nuper designata in diuersorium domini sui adesset.

Feria quarta post Georgij natalem, dicto parens D. Martinus, diuersorium Archiepiscopi Treuerensis ingreditur, adductus per Sacerdotem eius, & Caduceatorem Casareum, prosequentibus eum, qui huc uenientem è Saxonibus & Thuringis comitati sunt, et aliquot alij praeterea amicissimis, ubi coram Archiepiscopo Treuerensi, Marchione Ioachimo Brandenburgens. Duce Georgio Saxoniae, Augustensi et Brandenburgensi Episcopis, Magistro Teutonicorum comite Georgio, Iohanne Bock Argentino, Vuerdheymero & Peutingero Doctoribus. Doctor Vœus à Sacris Marchionis Badensis, dicere coepit, & protestatus est, Non in hoc ipsum uocatum esse, ut tanquam in controuersia uel disputatione cum ipso conferrent, sed solum ex Christiana caritate & clementia quadam, Principes à Caesare

V V O R M A T.

sarea Maiest. impetrasse, ut liceret eis clementer & fraterne exhortari eum.

Deinde ait, Concilia, tametsi diuersa statuerint, non tamen statuisse contraria. Quod si uel maxime errassent, ob id tamen non corruere eorum autoritatem, saltem adeo, ut quilibet suo sensu contra ea niti uellet. Inferens de Centurione & Zacheo multa, etiam de constitutionibus humanis, Ceremonijs statutis, ea omnia affirmans sancita ad reprimenda uicia, pro qualitate et uicissitudine temporum, nec posse Ecclesiam carere constitutionibus humanis. Ex fructibus cognosci arborem. Dicit tamen ex legibus multa bona nata. Quod Concilij S. Martinus, S. Nicolaus, & multi alij Sancti interfuerint.

Deinde, q̄ ingentes motus & tumultus incredibiles excitaturi sint libri eius. Quod libello de libertate Christiana uulgus abutatur ad exuendum iugum, ad stabiliendam inobedientiam: Longe nunc secus habere, quam cum credentium cor unum & anima fuisset una, Legibus ergo opus esse.

Præterea expendendum, q̄ cum bona multa scripsisset, & procul dubio bono spiritu, ut de Triplici iusticia, & alia, diabolum hoc iam per insidias occultas agere, ut omnia eius opera in perpetuum damnentur. Nam ex his quæ ultimo

D 3 scripse

IN COMIT.

scripserit, uere iudicaretur, quemadmodum arbor non ex flore, sed ex fructibus cognoscatur.

Ibi addidit de Demonio meridiano, & negotio perambulante in tenebris, & sagitta uolante. Tota oratio fuit exhortatoria, locis rhetoricis, honestatis, utilitatis Legum, et è regione periculorum conscientiae, et salutis publicae et priuatae, plena. Tum in principio, tum medio, tum calce identidem inculcans, hanc admonitionem propensissima uoluntate, et clementia quadam singulari à Principibus fieri. Claudens in Epilogo minas addit, dicens futurum, ut si in proposito perseueraret, Caesar procedat, eum ex Imperio eiekturus, commonefaciens, ut hæc & reliqua cogitaret & expenderet.

Respondit D. Martinus: Clementissimi & illustrissimi Principes & Domini, De uoluntate ista clementissima & benignissima, ex qua hæc admonitio proficiscitur, ago gratias quam humilissime possum. Agnosco enim me homuncionem longe uiliorem esse, quam ut a tantis Principibus sim commonendus.

Deinde libere pronunciat, Se non omnia Concilia reprehendisse, sed tantum Constantiense, ob hoc potissimum, quod uerbum Dei damnauit, Quod patet in Articulo hoc Iohannis Hufsi ibi dänato, Ecclesia Christi est uniuersitas prædestina-

V V O R M A T.

destinatorum. Hunc Articulum damnasse Concilium Constantiense, certum est, et sic consequenter hunc Articulum fidei nostræ: Credo Ecclesiam sanctam catholicam. Aiebat igitur, se non recusare, et uitam & sanguinem impendere, modo eo non detrudatur, ut cogatur apertum Dei uerbū reuocare. Nam in hoc defendendo, oportere Deo magis quam hominibus obedire.

Neq; se hic posse cauere Scandalū fidei, Scandalum enim duplex esse, charitatis & fidei. Charitatis, quod in moribus & uita consistit, Fidei uero seu doctrinae, quod in uerbo Dei consistit, & hoc uitare se iam non posse, in sua enim potestate non esse, ut Christus non sit petra Scandali. Si oues Christi puro Euangelij pabulo pascerentur, fides Christi uere predicaretur, essentq; boni ac pij Magistratus ecclesiastici, qui fideliter officium suum facerent, non opus esse Ecclesiam onerare humanis traditionibus &c. Se scire, Obediendum esse Magistratibus & potestatibus etiam male & inique uiuentibus. Scire se, cedendum esse proprio sensui, Idq; se in suis scriptis docuisse, seq; obedientissime prestiturum hæc omnia, modo non adigatur uerbum Dei negare.

Secedente Doctore Martino, Principes colloquuntur, quidnam respondendum sit homini?

D 4 Rea

IN COMIT.

Reuocatum igitur in Triclinium, Doct. Baden-
sis repetiuit priora, commonefaciens, ut sua scri-
pta iudicio Cæsaris & Imperij subijceret.

Respondit D. Martinus suppliciter et mode-
ste, se neq; pati neq; passurum, ut diceretur defu-
gisse iudicium Cæsaris, procerum & ordinum
Imperij. Tantum enim abesse, ut eorum examen
reformidet, ut uel minimis quoq; accuratissime
sua expendi permetteret, modo id fieret autori-
tate uerbi diuini et sacræ Scripturæ. Verbum au-
tem Dei tam apertum pro se esse, ut cedere ne-
queat, nisi uerbo Dei meliora edoctus. Scribere
enim S. Augustinum, Se didicisse hunc honorem
solis libris illis habere, qui Canonici uocantur, ut
ueros credat, Cæteris uero Doctoribus quanta-
libet uel sanctitate uel doctrina polleant, ita de-
mum credere, si uera scriberent: Ad hæc S. Pau-
lum ad Thessal. scripsisse: Omnia probate, quod
bonum est tenete. Et ad Galatas: Etiam si Ange-
lus è cælo ueniat, & aliud prædicet, anathema
sit. Itaq; ei non credendum: Ideo & se supplici-
ter orare, ne conscientiam suam uinculis scriptu-
ræ & uerbi diuini alligatam, urgeant ad negan-
dum tam clarum uerbum Dei, utq; se commen-
datum haberent, & præcipue apud Cæsaream
Maiest. efficerent, ne cogeretur contra consci-
entiam in hac causa quidquam agere, Alioqui
se ni-

VVORMAT.

Se nihil non uel obsequentissime facturum.

Hæc dicentem interrogauit Marchio Brandenburgensis Ioachimus Elector, Num dixisset se non cessurum, nisi conuictum sacra scriptura? Respondit D. Martinus, Etiam domine clementiss. uel rationibus clarissimis, & euidentibus.

Ita soluto hoc Conuentu, Principibus reliquis in Curiam proficiscentibus, Treuerensis Archiepiscopus. D. Martinum acciuit in suum Triclinium, adhibito Officiali suo Iohanne Eckio & Cochleio: D. Martino Luthero astabat D. Hieronymus Schurff, & Nicolaus Ambsdorffius. Ibi tum cœpit Officialis argumentari ut Sophista & Canonista, Papæ causam defendens: Ex sacris literis fere semper natas fuisse hæreses, ut Arianam ex hoc Euangelij: Ioseph nõ cognouit coniugem suam, donec pareret primogenitum suum. Deinde eo progressus, ut niteretur conuellere hanc propositionem: Ecclesiam catholicam esse uersitatem Sanctorum, Ausus etiam ex lolio facere triticum, & ex corporum excrementis, membra. Hæc & similia ridicula & futilia ab ipso in medium prolata, D. Martinus, & D. Hieronymus Schurff perstrinxerunt, sobrie tamen, ueluti ad rem ipsam nihil facientia, Nonnunquã instrepens & Iohannes Cochleus, conabatur D.

D S Luthero

I N C O M I T .

Luthero persuadere , ut ab incepto desisteret, & deinceps prorsus à scribendo & docendo abstineret . Tandem digressi sunt.

Sub uesperis eiusdem diei, Treuerensis Archiepiscopus, nunciauit D. Martino , interprete Ambrosio dorffio , fidem publicam a Cesare in biduum pertractam, ut interim cum eo agere posset . In hoc igitur postridie, Doctorem Peutingerum et Doctorem Badensem ad eum uenturos, imo & seipsum cum eo acturum .

Feria igitur quinta, ipsa die Marci, ante meridiem, Peutingerus & Badensis conati sunt persuadere D. Martino, ut simpliciter & absolute Cesari & Imperio permitteret iudicium de scriptis suis .

Respondit , Se omnia & facturum & passurum, si modo scripturae sanctae niterentur auctoritate: Alioqui enim nihil minus commissurum, Nam Deum per Prophetam dixisse : Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus . Item, Maledictus qui confidit in homine. Vehementius urgentibus, respondit, Nihil minus permittendum hominum iudicio, quam uerbum Dei. Ita abierunt, rogantes, ut deliberaret, meliora responsurus, A prandio se redituros.

Post prandium reuersi , idem quod ante meridiem,

VVORMAT.

ridiem, frustra conati sunt. Orauerunt, ut saltem Concilij futuri iudicio sua submitteret. Hoc permisit Lutherus, sed hac conditione, ut decerptos ex libris suis Articulos ipsi exhiberent Concilio subiiciendos, ita tamen, ut sententiam de illis ferrent ex scripturis, et testimonijs eiusdem contrarium probarent.

illi itaq; à D. Martino digressi, Archiepiscopo Treuerensi dicunt, Martinum pollicitum esse se sua permissurum Concilio, in Articulis nonnullis, interimq; taciturnum de iisdem. Quod D. Martinus ne quidem cogitarat, ut qui neq; monitis nec comminationibus ullis induci unquam potuerit, ut uel negare uel hominũ iudicio submittere uellet Libellos suos, quos claris & apertis Scripturis testimonijs muniisset, nisi conuinceretur ex sacris literis & euidentibus rationibus se errasse.

Accidit ergo singulari Dei munere, ut Treuerensis Archiepiscopus D. Martinum euocaret, eum coram auditurus, Vbi cum diuersum intellexisset, quam Peutingerus & Badensis dixissent, affirmauit, non magnum redempturum, nisi audiuisset eum: Alioqui enim se statim Casarem aditurum fuisse, dicturumq; quæ retulissent Doctores.

Egit

IN COMIT.

Egit uero Treuerensis Archiepiscopus clementissime cum D. Martino, primo, remotis omnibus Arbitris, cum de Cæsaris et Imperij, tum de Concilij iudicio. In quo colloquio D. Martinus nihil celauit Treuerensem, affirmans, parum tutum fore, tantam rem illis permittere, qui sub fide publica euocatum, nouis mandatis aggressi, damnassent suam sententiam, & Bullam Papæ approbassent.

Deinde admissio etiam amico, petiuit Treueren. Archiepis. a D. Martino remedia, quibus huic causæ occurri possit. Respondit Lutherus, Meliora non esse remedia, quam de quibus Gamaliel Act. 5. dixisset, teste S. Luca, Si ex hominibus consilium aut opus hoc est, dissoluetur, Si uero ex Deo est, dissoluere non poteritis. Hoc posse Cæsarem & Imperij ordines scribere ad Pontificem Romanum, se certo scire, si hoc suum propositum ex Deo non sit, intra triennium imo biennium sponte sua periturum.

Dicenti Treuerensi, quid esset factururus, si decerperentur Articuli Concilio submitteudi? Respondit Lutherus: Modo non sint hi, quos Concilium Constantiense damnauerit. Ait Treuerensis, Se uero timere, eos ipsos futuros. Atqui, inquit Lutherus, de eiusmodi tacere neq; possum neq; uolo, ut qui certus sum, ijs Decretis uerbu
Dei

VVORMAT.

Dei damnatum. Ideo uitam & caput potius amissurus sum, quam tam clarum uerbum Domini deserturus.

Treuerensis uidens D. Martinum Dei uerbum iudicio hominum nequaquam submissurum, clementer eum dimisit, Rogantiq; ut curaret sibi comitatum clementem a Caesarea Maiest. respondit: Se rem probe curaturum, & renunciaturum.

Neq; ita multo post, Officialis Treuerensis, presenti Cancellario quondam Maximiliani, a Secretis Caesaris, D. Martino in diuersorio suo, mandato Caesaris dixit: Quia tam multipliciter a Caesarea Maiest. Electoribus, Principibus, & ordinibus imperij frustra commonefactus, ad cor & unitatem noluerit redire, reliquum esse, ut Caesar (ut Aduocatus fidei Catholicae) procedat. Ergo mandatum Caesaris esse, ut intra uiginti unum dies hinc ad securitatem redeat, sub conductu publico, & libere ipsi seruando, neq; uel predicando uel scribendo, in itinere populum commoueat.

Quo audito, D. Martinus modestissime respondit: Sicuti Domino placuit, ita factum est, Sit nomen Domini benedictum. Deinde addebat, Se supplicem, primum omnium, sereniss. Caesareae Maiest. Principibus, & reliquis imperij ordinibus

IN COMIT.

ordinibus gratias agere, quam possent maximas, pro tam benigna & clementi audientia, proq; conductu libero & seruato & seruando. Neq; enim se quidquam desiderasse in eis, nisi reformationem per scripturam sanctam, a se tantopere flagitatam. Alioqui pro Caesarea Maiestate et Imperio passurus omnia, uitam et mortem, famam et infamiam, nihilq; sibi prorsus reseruaturum, nisi unicum uerbum Domini liberum, ad confitendum et testificandum illud: Postremo, Caesare & Maieitati, & toti Imperio se humillime tum commendans, tum subiciens.

Postridie igitur, hoc est, feria sexta post Iubilate, die Aprilis uicesima sexta, salutatis Patronis & amicis, qui cum frequentissime conuenerant. sumpto ientaculo hinc abiit, ad horam ante meridiem decimam, comitatus et ab ijs, qui huc uenientem profecuti sunt, Quem Caspar Sturm Caduceator post aliquot horas secutus, Oppenheim inuenit, Profecuturus uocali mandato Caesaris Caroli.

PRECATIO LVTHERI quotidiana & solita.

CONFirma Deus hoc in nobis quod operatus es, et perfice opus tuum, quod incepisti in nobis, ad gloriam tuam,
Amen. PHI-

PHILIPPVS MELANTHON AD AUDITORIUM Scholæ Vuittebergen-
fis, Anno 1546. De
obitu Luthe-
ri.



HÆC SEQUENTIA
D. Philippus Melanthon ho-
ra nona ante prandium, cū
conuenissemus ad ausculta-
tionem Epistole Pauli ad
Romanos, publice recita-
uit, commemorans, se hoc
ex consilio aliorum dominorum facere, eam ob
causam, ut nos admoniti de rei ueritate (quia scē-
rent multas fabellas hinc inde de morte Lutheri
uagaturas esse) figmenta illa sparsa non ample-
cteremur.

OPTIMI ADOLESCEN-
tes, Scitis nos suscepisse enarrare grammaticam
Explicationem Epistole ad Romanos, in qua cō-
tinetur uera doctrina de Filio dei, quam Deus
singulari beneficio hoc tempore nobis per Re-
uerendum patrem & præceptorem nostrum
amantissimum, D. Martinum Lutherum pate-
fecit.

Verum

Verum hodierno die, tam tristia huc sunt scri-
pta, quæ ita auxerunt dolorem meum, ut nesci-
am an possim posthac in hisce scholasticis
pergere: Hæc autem consilio aliorum Domino-
rum ideo uolo uobis commemorare, ut sciatis,
quo modo res uere se habeat, ne uel ipsi falsa de
hoc casu spargatis, neue alijs fabellis hinc inde
(ut solet fieri) sparsis fidem habeatis.

DIE Mercurij, qui fuit 17. Februarij, do-
minus Doctor, paulo ante coenam, cœpit labo-
rare morbo usitato, nempe, oppresse humo-
rum, in orificio uentriculi (quo memini hic quo-
que eum aliquoties laborare) hic morbus post
coenam recurrit, quo cum conflictaretur, peti-
uit secessum in cubiculum proximum: Atq; ibi
duas prope horas decubuit, donec dolores cre-
scerent. Et cum D. Ionas in eodem cubiculo una
dormiret, Dominus D. Martinus eum uocauit
& excitauit, iussitq; ut surgeret, & curaret, ut
pædagogus Liberorum Ambrosius calefaceret
conclauem, in quod cum ingressus esset, mox eò ue-
nit illustris Comes Albertus de Mansfeld, una
cum coniuge, & multi alij quorum nomina hi-
sce literis, propter festinationem, non sunt ex-
pressa. Tandem ubi finem uitæ adesse sensit, an-
te horam quartam sequentis 18. Februa. com-
mendauit sese Deo hac precatatione.

Mein

D Ein himlischer Vater / ewig
ger / barmherziger Gott / Du
hast mir deinen lieben Son /
vnsern Herrn Ihesum Christum of
fenbaret / den hab ich geleret / den hab
ich bekandt / den liebe ich / vnd den ehre
ich für meinen lieben Heiland vnd
Erlöser / Welchen die Gottlosen ver
folgen / schenden vnd schelten. Nimm
meine Seele zu dir. In dem redet er
in die drey mal /

In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me Deus ueritatis.

Also hat Gott die Welt geliebet etc.

His precibus aliquoties ingeminatis, a Deo in eternam Scholam & in eterna gaudia euocatus est, in qua fruitur consuetudine Patris, Filij, Spiritus sancti, omnium Prophetarum & Apostolorum.

A H, Obijt Auriga & Currus Israel, qui rexit Ecclesiam in hac ultima senecta mundi: Neq; enim humana sagacitate deprehensa est doctrina de Remissione peccatorum, & de fiducia Filij dei, Sed a Deo per hunc uirum patefa

E Sta,



Et, Quem etiam à Deo excitatum uidimus fuisse.

Amemus igitur huius uiri memoriam, & genus doctrinæ ab ipso traditum, & simus modestiores, & consideremus ingentes calamitates, et mutationes magnas, quæ hunc casum sunt secuturæ.

TE fili Dei, crucifixe pro nobis & resuscitate Emmanuel, oro, ut Ecclesiam tuam regas, serues & defendas, Amen.

SEQVUNTUR
ALIQVOT DISTICHA, DE
ACTIS Lutheri, quæ simul annorum numerum, quædam etiam diem in se comprehendunt, ut

D. Martinus natus est, Anno 1483. Quod tempus comprehensum est hoc sequenti Disticho.

*Natus es Islebij diuine propheta Luthere,
Relligio fulget, te duce, Papa iacet.*

ANNVS MAGISTERII.

1503.

*ERfurdi iuuenis titulos capit urbe Magistri,
Lustra suæ ætatis quatuor acta colens.*

AN

ANNVS MONACHATVS.

1504.

*V*Ana superstitio corpus iuuenile cucullo
Ornat, id omne tibi fraudi age Papa fuit.

ANNVS QVO VVITTEBERA
gam uenit.

1508.

*M*ittitur Albiorin, Christo auxiliante, Lutherus,
Quantus erat uates? gloria quanta Scholæ?

ANNVS DOCTORATVS ET
quo fuit Romæ.

1511.

*S*Taupicij est iussu titulos Doctoris adeptus.
Ut trucis Italiae uenit ab urbe Lupi.

ANNVS RESTAVRATÆ
Religionis.

1517.

*R*eligionis opus cœno extrahis, auspice Christo.
Verax ô dextro nixe Luthere Deo.

ANNVS CONFSSIONIS CORAM
Caietano Augusta, quæ extat Tomo
1. pagina 207.

1518.

E 2 Augu

*AVgustæ Christum profitetur in urbe Lutherus,
Non curans uultus præsul acerbe tuos.*

ANNVS DISPVTATIONIS

Lipsiæ.

1519.

*ECcius est iusti, uictus uirtute Lutheri,
Disputat ut Iulij Lipsiæ in urbe die.*

ANNVS CONFSSIONIS IN

Comitijs Vuormatiensib.

1521.

*Cæsaris ante pedes, proceres stetit ante potêtes
Accola quæ Rheni Vangio littus adit.*

ANNVS PATHMI.

1522.

*CARlstadij ob furias ad Saxona tecta recurrit,
Faucibus ex sæuis rursus ouesq; rapit.*

ANNVS MATRIMONII ET

seditionis Rusticorum.

1525.

*SEditio Agricolaë ferro est restincta potenti,
Fœdera coniugij casta Lutherus inuit.*

ANNVS CONVENTVS

Marpurgij.

1529.

Marpur

*Marpurgi coenae Christi ferit acriter hostes,
Stabat ut a saeuis cincta Vienna Getis.*

ANNVS CONVENTVS

Augustani.

1530.

*Augustae Statibus fidei confessio cunctis
Proposita est, Christi gloria laeta redit.*

ANNVS OBITVS

Lutheri.

1546.

*Nona bis obscuro lux februa constitit ortu,
In patrio ut moreris, clare Luthere, solo.*

*Hæc Disticha mutuati sumus ex sche-
da quadam, quam Ioannes Stolsius
Vuirtebergenfis amicus meus, M.
Vuolfganggo Stein dono
dederat, Anno*

1547.

SEQVITVR BREVE

εὐλόγιον D. Martini Lutheri, per

Ioannem Pollicarium

Cygnæum.

E 3 Hoc

HOc Doctore fides nobis cultusq; reuixit,
Et pietatis honor; Sed dogmata praua
ruinam

Cœpère, & subito cecidere ad tartara lapsu
Multum igitur tibi nos omnes debere fatemur.
Cuius ope est ingens tam mundo gloria nostro.

ALIVD.

(bum,
Dircaum referens Cygnū, Limon, Orphea, Phœ-
Quem non uoce tua magne Luthere rapis?
Allicis, inuitas, flectis mortalia corda,
Nil mortale melos quod modularis habet
Deterres homines duros à Marte cruento,
Duriciem morum, barbariemq; domas.
Diuinis ornas studijs formasq; iuuentam,
Hortaris tremulos ad meliora senes.
Præstigias aboles ueterum cultumq; Deorum,
Et sternis ueræ religionis iter,
Et retegens hominum fraudesq; dolosq; malorū
Ad præcepta Dei nos ueneranda uocas.
Virtutem & pacem instillas cœlestia dona,
Vnde salus, quæ sit uita beata doces.
Tam ferus est nemo quem non tua dictio frangat
Nam fluit a labris Suada medulla tuis.
Scripta tua ostendūt quæ sint tua dona Luthere.
Nempe trahis quercus, flumina, saxa, feras
Tanta pater summus qui per te monstra subegit,
Is animæ nunquam nolit adesse tuæ.

Amen.

EPITA.

EPITAPHIUM LV.
theri per eundem Iohan-
nem Pollicar-
rium.

Hic tibi terminus est uitæ, terræq; malorū,
Quæ tua perpeffa est pro pietate fides.
Membra quidē fragili defuncta teguntur ab urna,
Sed permixta sedet mens tua cœlicolis.
Tali compensat nostros mercede labores,
Qui iubet imperio cuncta subesse suo.

DE EXECRANDA ET
ABOMINABILI CÆCITA-
te Papistica, ex qua nos eripuit Deus
per Lutherum, Carmen
Saphicum.

Christus humani generis misertus,
Perditum tandem reparauit orbem,
Et sua nostras ueniens fugauit
Luce tenebras.
Non uidet nemo quibus in salebris.
Vsq; uersati sumus & uagati,
Tam diu fungi fuimus, nihilq;
Egimus omnes.

E 4 Antea

Antehac cæci, ducibusq; cæcis
Viximus, duri tamen & superbi
Numinis læsi magis ut magisq;
Cresceret ira.

Nil tenebamus nisi Syllogismos
Arte contortos, uariosq; nodos,
Frigidas nugas, mera uerba, fumos,
Stercora floccos.

Vulgus indoctum, stolidi sophistæ,
Barbari, crassi, scioli, loquaces,
Milites orci, pelagusq; plane
Flagitiorum.

Tanta nullius memoratur æui
Seruitus, quanta sumus usq; pressi,
Hoc mali inuexit lupa purpurata,
Lerna malorum.

Totius Reges proceresq; mundi
Subditos fecit sibi, poculoq;
Strauit erroris, triplici refulgens
Hydra tiara.

Inde doctrinis hominum subortis,
Languit uerus perijtq; cultus,
Litteræ sacre, quasi consepultæ,
Obticuerunt.

Impij passim populum necabant
Vinculis legum, decimis, tributis,
Gens rapax, uecors, & amica uentris
Perdita luxu.

Veri=

Veritas ferro rapidisq; flammis
Comprimebatur, fideiq; sermo:
Inter & sese grauius gerebant

Bella Monarchæ.

Saxeis stabant simulachra templis,
Sacra Dijs falsis et item Deabus,
Vnde diuersis uarijsq; Sectis

Cuncta fremebant.

In stans poni pietas diebus,
In cibus certis, preculisq; cepta est,
Nuptijs mire uetitis libido

Fœda reuixit.

Ista iam uero cecidere monstra,
Et modis uirtus redit illa miris,
Illa qua Christum Dominum Deumq;

Credimus unum.

Artium passim studijs bonarum,
Iam senes iuxta iuuenesq; flagrant,
Atq; linguarum: uenit hoc ab alto

Lumen olympto.

Seculum nunquam celebretur ullum,
Faustius tali meliusq; nostro,
Sermo pennatæ sacer ille currit

More sagittæ.

Sunt adhuc multi tamen inquinati,
Ebrii mundo, uigilesq; laruæ,
Qui suis lucris metuunt, necantq;

Vera locutos.

E 5 Hoc

Hoc nihil mirum, fore nempe Christus
Sæpe prædixit Deus ipse Vatum,
Hæreses, lites, odiumq; veri,
Et Crucis hostes.

Laus Deo Patri, Dominoq; Christo,
Spiritu cuius bona cuncta fiunt,
Adsit is nobis, fideiq; robur

Augeat et spem. Amen.

GRATIARVM ACTIO
quod extinctam iam pridē in orbe ter-
rarum ueritatis lucem, Deus hoc seculo
in Germania rursus per D. Martinum
Lutherum excitari. Geor-
gij Fabricij.

UU ——— UU ——— UU ———

UU ——— UU ——— UU ———

UU ——— UU ——— UU ——— UU ———

Tibi laudes recinamus, tibi grates,
Meritorum memores Christe tuorum,
Quia noctis tenebras sole corusco pepulisti,
Fera Germania duris prius armis,
Alijs a populis nescia uinci,
Sua iam collo iuga præbuit, atq; obtulit ultro,
Tua cum lux uenerandi sacra uerbi,
Miscuisset, tenuem uisa per umbram,
Ab iniquis, diuturnis male suppressa tenebris.

Quis

Quis ad unum bona referebat Christum?
Quis ab uno rogabat bona Christo?
Sibi fingens proprium quisq; deum in uota uo-
cabat

Sacra uenalia, cœlum ære patebat.
Meretricisq; cubili Papa surgens,
Sacrosanctas ueluti sus lutulenta ibat ad aras.
Tibi laudes recinamus, tibi grates,
Meritorum memores Christe tuorum,
Quia cæcis radians reddere lumen uoluisti.
Hominum friuola doctrina uigebat,
Gravida fœmina uentrem positura,
Reperit, cui faceret uota, Dianam, rapit alter.
Modo sanctus tibi Neptune tridentem.
Neq; Castor, neq; Pollux mare sistit
Agitatum grauis utq; ære domũ dextra feratur
Sua mercator habet numina, seuus
Quibus hastam & sua miles daret arma,
Neq; tellus numerũ illum, neq; cœlum capiebat.
Sator autem maris astrorum & abyssi,
Quasi non ferre potens auxiliij uim
Erat ignotus, & eius data laus est alienis,
Tibi laudes recinamus, tibi grates,
Meritorum memores Christe tuorum,
Quia totum tua sparsit radios gratia in orbem
Subito cum tua uox æthere ab alto,
Leuis Eure penetrans, horridi & alas.
Aquilonis, glaciale fuit audita prope Arcton.
Rapido

Rapido flumine currens, rigat arua,
Rigat agros, superis gratus & omne
Memorande pater Albis, cythara & uoce per
æuum.

Noua Belgam uocat ad gaudia Rhenum,
Vocat Istrum, socijsq; auctus ad ipsum
Fluuijs Oceanum tendit, in altumq; receptus
Solum regis, honesti specie oris,
Meruit populei frondis honorem,
Fluuiorumq; pater rexq; uocari omnib. amnis.
Tibi laudes recinamus, tibi grates,
Meritorum memores Christe tuorum.
Quia multorum animis est fidei lux patefacta,
Tener infans habilis dum ubera matris
Trahit, aures sibi sanctis resonare
Modulis sentit, & audit puer, innuptaq; uirgo.
Sacra passim recini carmina uatum.
Fora, uici, plateæ, templa, theatra,
Variarum feriunt sidera dulcedine uocum.
Pede pressans tumidas rusticus uuas,
Et opimam subigens uomere terram,
Apud armëta, sato uirgine, pastor canit hymnos.
Inopem sera operans nocte Mimeruam
Mulier, psalmisona uoce laborem
Minuendo, fruitur cœlo, animo elata beato.
Tibi laudes recinamus, tibi grates,
Meritorum memores Christe tuorum,
Quia portæ paradisi miseris rursus aperte.

OR A =

ORATIO IN FV
NERE REVERENDI VIRI
D. Martini Lutheri.

Recitata Vuittebergæ à Philippo
Melanthe.



FTSI IN HOC PVBLI-
co luctu mea uox dolore &
lachrymis impeditur: tamen
in tanta frequentia aliquid
dicendum fuit, non ut ab eth-
nicis fiebat, tantum de mor-
tui laudibus, sed potius ad commonefaciendum
coetum de miranda gubernatione & periculis
Ecclesie, ut qua de re angere, quas res precipue
expetere, ad quæ exempla dirigere uitam debe-
ant, cogitemus. Etsi enim homines prophani in
tanta confusione uitæ temere omnia & casu fer-
ri arbitrantur: tamen nos multis perspicuis Dei
testimonijs confirmati sciungamus Ecclesiam a
prophana multitudine, & statuamus uere eam
regi & seruari diuinitus: & eius politiam recte
aspiciamus. agnoscamus ueros gubernatores, &
eorum curriculum consideremus, et eligamus du-
ces & doctores idoneos, quos quidem & pie se-
quamur & ueneremur. De his tantis rebus
& cogi-

Et cogitari Et dici necesse erit, quoties reueren-
di uiri D. Martini Lutheri carissimi patris Et
preceptoris nostri mentio fiet, quem etiāsi multū
prophani homines acerbissime oderunt: tamen
nos qui scimus fuisse ministrum Euangelij, diuinū
excitatum amemus ac probemus, Et testimo-
nia colligamus quæ ostendunt eius doctrinam nō
esse seditiosas opiniones sparsas cœco impetu, ut
homines Epicurei iudicant, sed demonstrationem
uoluntatis et ueri cultus Dei, et explicationem sa-
crarum literarum, Et preconium uerbi Dei, id
est, Euangelij Iesu Christi.

Est igitur in his orationibus, quæ tali loco
habentur, multa de ornamentis priuatis eorum
qui laudantur dici solent, tamen ego ea parte o-
rationis relicta, tantum de hoc præcipuo loco di-
cam, uidelicet, de munere Ecclesiastico. Ita enim
bonæ mentes semper statuent. Si doctrinam in Ec-
clesia salutarem Et necessariam illustrauit, Deo
gratias agendas esse, quod eum excitauerit, Et
ipsius labores, fidem, constantiam Et cæteras uir-
tutes laudandas esse, ac memoriam eius bonis om-
nibus carissimam esse.

Sit igitur hoc orationis nostræ initium. Sedet,
ut Paulus inquit, filius Dei ad dextram æterni pa-
tris, Et largitur bona hominibus, id est, uocem
Euangelij Et Spiritū sanctum, quæ ut impertiat,
excitat

excitat Prophetas, Apostolos, Doctores, & Pa-
stores, & hos sumit ex hoc nostro, id est, discena-
tium cœtu, qui legunt, audiunt, amant scripta Pro-
phetica & Apostolica. Nec tantum illos uocat ad
hanc militiam, qui tenent ordinariam potestatem,
sed sæpe illis ipsis bellum infert per Doctores ex
alijs ordinibus delectos. Estq; iucundum & utile
spectaculum intueri Ecclesiam omnium ætatum,
& considerare bonitatem Dei, qui subinde salu-
tares doctores ita continuato ordine misit, ut tan-
quam in acie prioribus decedentibus mox alij in
horum uestigia insisterent.

Nota series est primorum patrum, Adæ, Seth,
Enoch, Mathusalem, Noe, Sem, hoc uiuo & in ui-
cinia Sodomorum habitante, cum iam oblitæ
gentes doctrinæ Noe & Sem, passim idola cole-
rent, excitatus est Abraham, ut esset collega Sem,
& socius huius summi operis propaganda ueræ
doctrinæ. Huic successerunt Isaac, Iacob, Ioseph,
qui in uniuersa Ægypto, quæ tunc fuit floren-
tissimum regnum toto orbe terrarum, doctrinæ
lucem accendit. Deinde Moses, Iosue, Samuel,
Dauid, Elias, Eliseus, quem audiuit Iesaias, Ie-
saiam Ieremias, Hunc Daniel, Danielem Zacha-
rias. Deinde Esdras, Onias, Post hunc Macca-
bei, Deinde Simeon, Zacharias, Baptista, Christus,
Apostoli. Hanc continuam seriem iuuat aspicere,
que

quæ est illustrè testimonium præsentie Dei in Ecclesia.

Ac post Apostolos sequitur agmen: quod etsi fuit imbecillius: tamen Dei testimonijs ornatum est. Polycarpus, Irenæus, Gregorius Neocesariensis, Basilius, Augustinus, Prosper, Maximus, Hugo, Bernardus, Taulerus, & alibi alij. Etsi enim hæc postrema senectæ squalidior est: tamen Deus semper aliquas reliquias seruauit. Et lucem Euangelij splendidiorè accensam esse uoce Lutheri manifestum est.

Annumerandus est igitur illi pulcherrimo agmini summorum uirorum, quos Deus ad colligendam & instaurandam Ecclesiam misit, quos quidem præcipuum florem esse generis humani intelligamus.

Euerint sane magni uiri, Solon, Themistocles, Scipio, Augustus, & similes, qui magna imperia uel constituerunt uel rexerunt: tamen longe inferiores sunt his nostris ducibus Iesaja, Baptista, Paulo, Augustino, Luthero.

Hæc uera discrimina intelligere nos in Ecclesia decet.

Quæ igitur res magnæ & ueræ a Luthero patefactæ sunt, quæ ostendunt eius curriculum laudandum esse? Clamant enim multi turbatam Ecclesiam, & controuersias inextricabiles sparsas esse. His respondeo talem esse gubernationem Ecclesie

clesiæ. Cum Spiritus sanctus arguit mundum, dis-
sidia propter impiorum pertinaciam oriuntur,
et culpa est eorum qui audire filium Dei nolunt,
de quo cœlestis Pater inquit: Hunc audite. Luthe-
rus ueram & necessariam doctrinam patefecit,
fuisse enim tenebras in doctrina de Pœnitentia
densissimas manifestum est. His discussis, ostendit
quæ sit uera pœnitentia, & quis sit portus, quæ
firma consolatio mentis quæ expauit sensu iræ
Dei. Illustrauit Pauli doctrinam quæ ait, Fide iu-
stificari hominem. Ostendit discrimen Legis &
Euangelij, iusticiæ Spiritus, & politicæ. Ostendit
& ueram inuocationem Dei ac totam Ecclesiam
ab ethnico furore reuocauit, qui fingit Deum in-
uocari, etiam si mentes Academica dubitatione
oppressæ fugiant Deum. Iussit fide & bona con-
scientia fieri inuocationem & quidem ad unum
mediatorem filiū Dei sedentem ad dextram eter-
ni Patris & interpellantem pro nobis, deduxit
nos, non ad statuas aut homines mortuos, ut hor-
ribili furore homines impij statuas & homines
mortuos inuocant.

Monstrauit & alia uera officia Deo grata, et
uitam ciuilem ita ornauit & muniuit, ut nullius
unquam literis ita ornata & munita sit. Deniq;
seiuinxit à necessarijs operibus puerilem pædago-
giam humanarum cæremoniæ, et ritus, ac le-
ges impediētes ueram inuocationem Dei. Et ut

F illustra-

illustrata doctrina coelestis propagaretur ad posteritatem, uertit in linguam Germanicam prophetica & apostolica Scripta tanta perspicuitate, ut hæc ipsa uersio plus lucis adferat lectori, quàm pleriq; commentarij.

Adiunxit & ipse multas enarrationes, quas longe antecellere omnium enarrationibus quæ exstant, Erasmus etiam affirmare solebat. Et, ut scribitur de instaurantibus Hierosolymam, altera manu eos edificasse, altera gladium tenuisse: Ita ipse & preliabatur cum hostibus ueræ doctrinæ, & simul enarrationes plenas doctrinæ coelestis condebat. Et multorum conscientijs opem tulit pijs consilijs.

Cumq; magna pars doctrinæ supra humanum conspectum posita sit, ut doctrina de Remissione peccatorum & fide, necesse est fateri a Deo eruditum esse, ac multi ex nobis uiderunt eius lucet, in quibus didicit: fide statuendum esse, nos et recipi & exaudiri a Deo.

Semper igitur in omni æternitate bonæ mentes beneficia, quæ Deus Ecclesiæ per Lutherum dedit, celebrabunt. Et primū Deo gratias agent. Deinde & ipsius uiri laboribus multum debere se prædicabunt, etiamsi homines athei, qui totam Ecclesiam rident, hæc κατ' ὄρθωματα iudicant esse inanem ludum aut furorem.

Nec inextricabiles disputationes motæ sunt,

nec

nec contentionis pomum, ut aliqui false dicunt,
Ecclesie obiectum est, nec proposita σφίγγων
enigmata. Nam sanis & pijs & non calumniose
iudicantibus, facile est collatis sententijs uidere
quæ congruant cum cœlesti doctrina, quæ non
congruant. Imò in omnium piorum mentibus has
controuersias iam dijudicatas esse nō dubium est,
Quia cum Deus conspici se & uoluntatem suam
in sermone prophetico & Apostolico uelit, in
quo se patefecit, non existimandum est sermo-
nem illum ambiguum esse, ut folia Sibyllæ,
Quæ turbata uolant rapidis ludibria uentis.

Sed aliqui non mali tamen quæsti sunt asperio-
rem fuisse Lutherum quam debuerit. Nihil dispu-
to in alterutram partem, sed respondeo id quod
Erasmus sepe dixit: Deus dedit huic postrema
ætati propter morborum magnitudinem acrem
Medicum. Cumq; tale organum aduersus hostes
ueritatis superbos et impudentes excitarit, ut ad
leremiã inquit: Ecce dedi uerba mea in ore tuo,
ut destruas & ædifices, et uoluerit eis tanq̃ hanc
Gorgonem obijcere, frustra expostulant illi cum
Deo. Nec regit deus Ecclesiam humanis consilijs,
nec uult organa sua prorsus similia esse. Illud au-
tem commune est, ut mediocria & moderata in-
genia impetus ardentiores seu bonos seu malos
minus probent. Vidit Aristides Themistoclem in-
genti motu animi res magnas suscipere & feli-

citer gerere. Etsi autem felicitatem gratulabatur
Reipub tamen incitatum illius animū ex eo cursu
reuocare studebat.

Nec ego hoc nego, peccare interdum uehemen-
tiores impetus, nemo enim in hac naturæ infirmē-
tate prorsus sine labe est. Anterim tamen, si quis ta-
lis est ut ueteres de Hercule, Cimone, & alijs di-
xerunt, ἀκομψος μὲν ὁ. Ἄλλὰ τὰ μέγιστα ἀγαθός.
uir bonus & laude dignus est. Ac in Ecclesia si,
ut Paulus inquit, recte militat, retinens fidem &
bonam conscientiam, Deo placet, & a nobis ue-
nerandus est.

Talem fuisse Lutherum scimus. Nam & con-
stanter doctrinæ puritatem defendit, et conscien-
tiæ integritatem retinuit. Iam quis est, cui quidem
notus ille fuit, qui nesciat, quanta humanitate
præditus, quanta huius in congressibus familia-
ribus suauitas, quam minime hic contentiosus aut
rixator fuerit? Et adiunctam tamen omnia gra-
uitatem habuerunt eam, quæ in tali uiro esse de-
beret, nam in hoc,

ἀψὺν δ' ἐς ἡμᾶς, εὐπροσηγοροῦ σώμα.

Vel potius erant secundum Paulum omnia
ὅσα ἀληθῆ, ὅσα σεμνὰ, ὅσα δίκαια. ὅσα ἀγνά, ὅσα
προσφιλή, ὅσα εὐφρημα, ut illā asperitatem zēlōs
ueritatis, non ἐριθείας, aut acerbitatis fuisse ma-
nifestum sit. Atq; horum nos omnes & externi
plurimi testes sunt. De reliqua autem uita, quam
ad annos

ad annum LXXII. produxit in maximo et acer-
rimum studio pietatis & omnium bonarum rerū
atq; artium, si laudationem uiri instituissem, quā
illustrem & speciosam orationem habere pos-
sem? Nulle uagae libidines unquam in eo animad-
uerse sunt, nulla seditiosa consilia, imo autor po-
tius aliquoties fuit abijciendorum armorum, non
miscuit causis Ecclesiasticis artificia augende po-
tentiae uel suae, uel suorū. Hanc et sapientiā et uir-
tutem esse iudicio tantam, ut sola humana diligen-
tia accersi posse non uideatur, sed diuinitus eti-
am frenari animos oportet praesertim acres, ex-
celsos, ardentis, qualem omnino Lutheri fuisse
res ostendit.

Quid dicam de ceteris eius uirtutibus? Saepe
ipse interueni cum lacrimans preces suas
pro tota Ecclesia dixit. Sumebat enim sibi fere
quotidie certum tempus ad Psalmos aliquos re-
citandos, quibus sua uota gemens & lacrimans
miscbat, ac saepe dixit se succensere istis, qui aut
propter ignauiam, aut propter occupationes di-
cunt satis esse solo gemitu precari. Ideo formae
nobis diuino consilio praescriptae sunt, inquit: ut
lectio mentes accendat, imo ut uox etiam profi-
teatur, quem Deum inuocemus.

Itaq; cum multae graues deliberationes de pe-
riculis publicis saepe inciderint, animaduertimus
eum ingenti animi robore praeditum fuisse, mini-

meq; ἰσοποδ' εἶναι, nec ullis unq̄ fractum terroribus. Nitebatur enim sacra, ut dicitur, ancora, id est, auxilio Dei, nec fidem excuti sibi patiebatur.

Ceterum & acie mentis tantum ualebat, ut unus in obscuris rebus maximè uideret quid conduceret. Nec erat, ut multi putant, negligens in consideranda Repub. aut inspiciendis aliorum uoluntatibus. Sed & Rempub. norat, & omnium cum quibus uiuebat sensus ac uoluntates sagacissimè perspiciebat. Et quanquam ingenij uis acerrima erat, tamen auidissime legebat scripta Ecclesiastica, uetera & recentia, & omnes historias, quarum exempla singulari dexteritate ad presentia negocia transferebat.

Eloquentie uero ipsius perpetua monumenta extant, qua par fuit, haud dubie ijs, in quibus uis oratoria summa fuisse existimatur.

Talem uirum summa ui ingenij præditum, instructum doctrina, longo usu exercitatum, multis excellentibus & heroicis uirtutibus ornatum, ac à Deo ad Ecclesie instaurationem delectum, deniq; complexum nos omnes paterno animo, ex hac nostra consuetudine euocatum esse, nostra causa merito dolemus. Sumus enim similimi orphanis præstanti & fideli patre orbat. Sed quia Deo obtemperare necesse est, memoriam tamen uirtutum & beneficiorum ipsius apud nos interire non sinamus. Ac ipsi quidem gratulemur

ians

iam familiarem & dulcissimam cum Deo & Fi-
lio eius domino nostro Iesu Christo, Prophetis, &
Apostolis consuetudinem, quam fiducia filij Dei
semper & petiuit & expectauit, ubi non modo
iudicio Dei & testimonijs uniuersæ cœlestis Ec-
clesiæ probari suos labores, quos in propagatio-
ne Euangelij sustinuit, audit, sed etiam ipse iam
eductus ex mortali corpore tanq̄ ex carcere, &
ingressus in scholam multò eruditio-
rem, Dei es-
sentiam, & in Filio duas naturas coniunctas, &
totum consilium conditæ & redemptæ Ecclesiæ
propè contemplatur, quas res maximas inuolu-
tas & breuibus oraculis propositas, cum fide hic
considerarit, nunc coram uidens leticia summa
adficitur, & Deo iam ardens tota mente gratias
agit pro tanto beneficio.

Hic discit cur Filius dei λόγος ἡ ἐκὼν eterni
Patris dicatur, et quomodo uinculum sit Spiritus
sanctus amoris mutui, non solum inter eternū Pa-
trem et Filium, sed etiam inter ipsos & Ecclesiā.
Initia huius doctrinæ et rudimenta in hac morta-
li uita didicerat, et sepe de his summis rebus, de
discernenda inuocatiōe uera et falsa, de uera ag-
nitione Dei intuente patefactiones diuinas, & di-
scernente uerum Deum a commentitijs numini-
bus grauissimè sapientissimèq; differebat.

Multi in hoc cœtu audierunt eum aliquando

E 4 enar=

enarrantem hoc dictum : Videbitis cælum aper-
tum, & angelos Dei ascendentes & descenden-
tes super Filium hominis. Vbi primum auditores
hanc amplissimam consolationem infigere animis
iubebat, quæ adfirmat cælum apertum esse, id
est, nobis ad Deum patefactum esse, iræ diuinæ repa-
gula confugientibus ad Filium, amota esse, Deum
propè iam nobiscum uersari, et inuocantes ipsum
ab eo recipi, regi & seruari.

Hoc decretum Dei quod homines athei fabulo-
sum esse uociferantur, monebat opponendum es-
se humanæ dubitationi & pauoribus qui deter-
rent fugientes animos quo minus inuocare De-
um ausint, nec acquiescant in Deo.

Deinde Angelos ascendentes & descendentes
in Christi corpore, ministros Euangelij esse, dice-
bat, qui primum duce Christo ascendunt ad Deum,
& ab eo Euangelij lucem & Spiritum sanctum
accipiunt. Postea uero descendunt, id est, ministe-
rio docendi inter homines funguntur.

Addebat autem hanc interpretationem, etiam
illos ipsos spiritus cœlestes, quos usitate uoca-
mus Angelos intuentes in Filium, erudiri et leta-
ri hac miranda copulatione duarum naturarum,
& cum huius Domini milites sint in defensione
Ecclesiæ, quasi manu eius gubernari eos.

Harum optimarum rerum nunc spectator est,
& ut antea inter Euangelij ministros ascendebat
& de-

et descendebat ducente Christo, ita nunc Angelos
cernit mitti ab eo, & sapientiæ diuinæ, et operū
diuinorum consideratione unā cum eis fruitur.

Meminimus quanta cum uoluptate Propheta
rum politiam, consilia, pericula, liberationes re=
citabat, & q̄ eruditè omnia Ecclesiæ tempora
conferebat, ut flagrare se illorum summorum ui=
rorum desiderio non uulgari significaret.

Hos nunc complectitur & gaudet uiuas audi=
re & reddere uoces. Hi hunc suum συμφοιτητῶν
leti salutant, & unā gratias Deo agunt colligen=
ti & seruanti Ecclesiam.

Ipsū igitur Lutherum beatum esse non du=
bitemus. Nostra uero orbitate angamur, & quo=
niam Dei uoluntati postquam eū hinc euocauit,
nos quoq; obtemperare necesse est, sciamus hoc
quoq; uelle Deum, ut memoriam uirtutum ipsius
et beneficiorum retineamus. Id iam officium præ=
stemus. Agnoscamus eum fuisse organum Dei sa=
lutare, & eius doctrinam studiose discamus. Vir=
tutes etiā nobis necessarias pro nostra mediocri=
tate imitemur, timorem Dei, fidem & ardorem
in inuocatione, integritatem in ministerio, casti=
tatem, diligentiam uitandi seditiosa consilia, cu=
piditatem discendi. Utq; de cæteris pijs gubernā=
toribus Ecclesiæ, quorum extant historiæ sæpe
multumq; cogitandum est, de Ieremia, de Bapti=
sta, de Paulo, ita sæpe huius uiri doctrinam et cur

F S sum

sum consideremus, & gratiarum actionem & pre-
precationem adiungamus, quod nunc quoq; in
hac frequentia fieri decet. Mecum igitur uera
pietate animorum dicite:

GRatias agimus tibi omnipotens Deus, eterne
pater domini nostri Iesu Christi, conditor Ec-
clesiæ tuæ, unâ cū Filio tuo coeterno, domino no-
stro Iesu Christo, & Spiritu sancto, sapiens, bone,
misericors, iudex uerax, fortis et liberrime, quod
colligis Filio tuo hæreditatē ex genere humano,
& seruas Euangelij ministerium, & nunc quoq;
per Lutherum instaurasti, ac ardentib. uotis pre-
camur, ut deinceps Ecclesiam et serues et regas,
& obsignes in nobis ueram doctrinam, sicut Iesai-
as de suis discipulis precatur, & nostras mentes
Spiritu sancto tuo accendas, ut te recte inuoca-
mus, & mores nostros piè regamus.

Deinde quia magnorum gubernatorum inter-
tus, sæpe denunciant posteritati pœnas, uos obte-
stamur ego & omnes quibus docendi munus com-
mendatum est, ut de periculis orbis terrarum co-
gitetis. Alibi Turci grassantur, alibi minatur bel-
la domestica alij hostes, passim etiam magna est
ingeniorum petulantia, quæ præsertim postquam
Lutheri censuram uereri desinent, maiori auda-
cia doctrinam rectè traditam corrumpent.

Hæc mala, ut Deus auertat, diligentiores si-
mus in regendis moribus et studijs, semperq; infi-

XAN

nam hanc sententiam animis teneamus, tantisper
donec puram Euangelij doctrinam retinebimus,
audiemus, discemus, amabimus, fore nos Dei do-
micilium & Ecclesiam, sicut inquit Filius dei: Si
quis diligit me, sermonem meum seruabit, et Pa-
ter meus diliget eum, et ad eum ueniet, et man-
sionem apud eum faciemus. Hac nos amplissima
promissione ad discendam doctrinam coelestem
accendamus, & sciamus propter Ecclesiam ser-
uari genus humanum & politias, & illam eter-
nitatem futuram mentibus intueamur, ad quam
nos Deus uocauit, qui quidem nec frustra se tam
illustribus testimonijs patefecit, nec frustra Fili-
um misit, sed uere diligit & curat haec beneficia
magnificantes. DIXI.

MARTINO LVTHE-
ro Euangelij Iesu Christi Doctore, ueri-
tatis amatori maximo, & mendaciorum
ac superstitionis hosti, Religionis & pie-
tatis in Germania auctori, Admi-
rator in hoc operis
Dei F.

Lutheri iacet hoc corpus mortale sepulcro,
Depositum in patrio nuper inane solo.
Cum pius ad supera properaret spiritus arcem,
Tedia post uitae multa laboriferae.

Hunc

Hūc urbs quæ uiuentem habuit, coluitq; magistrū
Pulvere ab externo noluit ossa tegi.
Nunc igitur quod in hac huius populabile terra,
Et qua uita uiri parte caduca fuit.
Id tandem optato confectum fine tenetur,
Et suus inferijs est resolutus honor.
Sancta sed in cœlo non interitura manet mens,
Æterna Domini pace beata sui.
Quem pura uenerata fide constanter amauit,
Christe Deus uerbi sedula prece tui.
Nullius huic contra scripturæ oracula sacræ,
Magna fuit uirtus ingeniumq; nimis.
Nullorum uires huic incussere timorem,
Quo fidei assereret dogmata uera minus.
Atq; hunc mors placida et felix similisq; sopori,
Extremum uitæ iussit obire diem.
Inter amicorumq; manus lacrimasq; piorum,
Et quas ipse suo fudit ab ore preces.
Te quibus æternumq; patrem natumq; uocauit,
Vera decedens in sua uota fide.
Ac ætate grauis, genito cum tertius annus,
Ultra ter quinas iret Olympiadas,
Christicola uita felix obituq; beatus,
Iam tenet ætherij lucida regna poli,
Defunctus fato atq; malis. At tu bone pastor
Christe tuo rapidos à grege pelle lupos.
Propitiuq; huic custodes adiunge fideles,
Auxilio, si unquam nunc eget ille tuo.

M. A O I.

Μ. ΛΟΥΤΗΡΟΣ ΕΠΙΤΑΦΙΟΝ.

κοσμήτωρ τάφου καὶ ξένου.

ξ. τοι τάφος ἐστ' ὄδου κ. λουτήρος. ξ. μῶν ἐνθάδε κ. ἔθνος
σῶμ' ἀπέθηκε θανάτου ἐν βίοτοιο τέλει;

κ. οὐχ ὧδε ἀλλ' ὁρίοις ἐνὶ πατρὶδι. ὧδε δέμας δέ
κεῖθ' ὅθ' ἀληθείας πρόσθερ' ἔδειξεν ὄδου,

εὐσεβέου δ' ὑγιᾶ διδάχων ἐδίδαξε λόγοιο,
κηρύσσων θεῖα ῥήματα ἀγγελίω.

ξ. πολλοὶ δὴ τὰ τοῦ ἀνδρα καταφθίμωτον ἠθέουσι.
κ. εἰσὶ δὲ καὶ τῶν κ. ὁρμυλοῦ θανάτω.

ξ. αὐτοὶ δὴ τινες εἰσὶ κ. κακῶν μίσωρες. ξ. ὅδ' ἐοθλός.
δὴ λόγῳ γ' ὡς πᾶς τις δάκρυα τῶν δ. νέμα.

κ. σφάλῃ μὲν ὧ ξῆρ' ἐπεὶ οὐκ ἔτι δάκρυσι τῶν,
ἀλλ' ἐπ' εὐφροσύναις μᾶλλον ἔγεντο μόρτου.

εὐκτὸς γὰρ τοῦ δὲ φίλοις. ξ. κλαῖσιν ἄρ' ἐχθροῖς
κ. καὶ γὰρ ἔβλεψεν κ. μεθ' ἡσυχίας,

ἀλλάξας σφάλου ἐνυδρᾶς βίοτοιο μόριμνας
πρὸς μάκαρτων ζωὴν τέματα αἰδίου.

οἰχομένους τε νόμον κοινόν μεταθεῖς θανάτοιο.
χρῆμοσύνω ἀγαθοῖς πέντε ἔλειψεν κακοῖς.

ξ. ἀλλὰ τίς ἐσὶ φέρει σὺ κ. ὕσις; τοῦδε τάφοιο
κοσμήτωρ. ξ. τί δ' ἔχεις οὐνοῦ κ. ἐτυμολόγος.

ξ. θαυμάσιον, τοῦδε γ' ὄσιον. ἐτυμολογῆς δὲ τίς κ. λουτήρ
ἔστιν ὁ βαπτιστής. ξ. πῶς κ. ὅτι λούσα φέρει.


βαπτιστοῦ

Βαπτισμῆς δὲ θεοῦ βροτοῖς πρόσ' ἀμνὸν ἔδειξεν.
ξ. ὅς δὲ τίς κ. δεῦ δὴ. ξ. εἰκόνα πλὴν δ' ὁρώ
ἀμνὸν βασάζοντ' ἰδ' εὐδεικνύτ' ἀπασιν.
κ. οὐτ' ἄρ' ἦρ λυτῆς. ξ. ἦρ ἄρα. κ. νῦν τί λέγεις;
ξ. ὅτι λόγ' τέθ' ὄσιμ' ἐτήτυμ' κ' ἀλλ' αἰώμω
ὡς πρὶν ἀπθόσιν μήτι γένοιτο κακόν.
ἀπὸ Ἰωαχ.

Τ Ε Λ Ο Σ.

163
210





Die rede des hern Christi sol in ernst
rechtlich wonen in aller weisheit und
sol in ernst miteinander leren und

erinnern.
Diser spruch ist ein klar außgedruckt gebot das
man die lere des hern Christi oft horen und
lesen sol und alzeit betrachten, und merck
das wort wonen das ist es sol vnbricht ein
fremder gast sein, sondern sol vnbruch be-
wunnen sein wie unsere heilige beinwoher.
Und ist gewislich war, wo die lere des hern
Christi ernstlich betrachtet wird und mit
glauben angenommen wird. In den selbigen
herzen ist gewislich got selbst gegenwertig
Wonet darinnen, und ist in ihnen befrucht. Der
son Gottes ist des ewigen watters lebendig wort

vnd sprich den trost in das hertz durchs trincken
gelinck vnd gib den heiligen geist in das
hertz gibt leben vnd freudt in got beuaret
dich vnd gib ewer nach ewiges leben darinn
got alles machen sein wirt.

Philippis Melanthon.

Anno 1555

Christis Zeit.

Ich bin das licht man sieht mich nicht.
Ich bin der rosen man geht mich nicht.
Ich bin almechtig man fürcht mich nicht.
Ich bin barmhertzig man trauet mich nicht.
Ich bin warhaftig man glaubt mich nicht.

m,
6
et
2
v




110

70 $\frac{11}{\lambda, 13}$

X 221 4550

AB: 70 $\frac{11}{\lambda, 13}$





HISTORIA DE VITA ET ACTIS

Reuerendis, uiri D. Mar-
tini Lutheri, ueræ Theo-
logiæ Doctoris, bon-
na fide con-

scripta a

PHILIPPO MELANTHONÆ.

*Adiecta sunt quedam, que pagi-
na uersa indicabit.*



VVITTEBERGÆ
Ex officina Iohannis Lufft.

1549.